

huic immixtum, certo liquet. Armachanum quod interest, in Censura chirographum aut negasse, aut adiecit, dici non potest, quod nec ab eo, nec ab aliis ad eum Congressum datis arbitris quærebatur: sed peculiare foris adversus Molinianos errores opusculum adornavit, quo Jesuitas ad assentiendum iudicio Consultorum inclinaret. Quod cum Bellarminus, objectis Bajanis erroribus, alisque de more cavillationibus, suggillare aggressus esset; secundam scriptionem addidit meritis Archiepiscopi, tanta eruditionis, ac doctrinæ copia, ut eum Clemens VIII. elapsis post anno inter Molinæ Censores adlegerit. Atque id de tertio causæ hujus examine.

Haud multo melioris notæ est, quod de quarto in antecessum prelibatis, ut factam Molinæ procuratoribus injuriam probes; quod de Pelagianis, ac Semipelagianis erroribus disputare prohibiti sint, tamen id illi infinis precibus efflagitasset; rati forte, multis se probaturos argumentis, Molinam longo ab iis intervallo discessisse. Id ab illis, ut moras interim neferent, efflagitatum, iustaque ideo de causa negatum a Consultoribus, ostendimus loco suo: quanquam id eis indultum, ut de iisdem data occasione disferent, atque ubi peculiaria Molinæ propositiones, ad examen adducta, ita postulare viderentur. Cæterum quia non alia meliori via probandum tibi sumis, Romanos Censores ex dogmatum Pelagianorum, ac Semipelagianorum ignorantia varias Molinæ propositiones rejecisse, quam ostentato sapientis Natalis Alexandri suffragio, cui ego, uti Magistro discipulus, fidem habere debeam; variaque ideo adornata ab eo Historiæ Ecclesiasticæ testimonia congeris, quæ Molinianos, Scientiæ-Mediæ, gratiæque veritatis defensores, a Semipelagianis erroribus abscidisse, significavit; illud habeto: Alexandrum hos ipsos Historiæ suæ lapsus, ac nervos agnovisse tandem; scriptoque publico denunciasset, quæ de Molinæ Scholæ placitis, eorumque a Semipelagianis erroribus discrepantia dixerat, ea se non veritati, sed Societati dedisse, quo eam demereretur, ac devinceret: etsi haud magnus ad eum quæritus ex ea negotiatione redierit. De Alexandri verba in Epistola, Jesuitis inscripta, (1) ubi sic ipse de se: *Il est pourtant vray, que le Pere Alexandre parvint, & devoit mieux soutenir la grace contre les véritables ennemis, qu'il n'a fait dans sa Theologie dogmatique, & dans son Histoire Ecclesiastique. Il devoit reconnoître de bonne foy la conformité des sentimens de Molina avec les erreurs des Semipelagiens, comme les Docteurs les plus sçavans de son Ordre, Lemos, & Alvarez le firent voir dans la celebre Congregation de Auxiliis, où le Pere Valentia, Theologien de votre Compagnie, eut tant de confusion de se voir vaincu par le premier de ces Docteurs Dominicains, en presence du Pape, des Cardinaux, & de ces sçavans Consultants, qui étoient presens à cette dispute, qu'il en mourut de chagrin, & de despit. Le P. Alexandre devoit faire valoir le disjunctif vray, que le Pere Alexandre devoit valoir le disjunctif vray, & de cette celebre Congregation contre les erreurs de Molina; & il ne devoit pas vous épargner en refusant les Auteurs de son Ordre. La justice de Dieu, qui punit souvent les hommes par les mêmes endroits, par lesquels ils pechent, se sert de vous pour chatier ce Docteur. Vous P. attaquez, vous P. insultez, vous decriez sa Morale. Comment donc en userez vous avec vos ennemis? On vous reproche, que votre doctrine sur la grace de Jesus Christ est mau-*

(1) Lettre d'un Theologien aux RR. PP. Jesuites, pour servir de réponse à la seconde Lettre adressée au P. Alexandre par un Religieux de leur Compagnie. (2) Lettres de M. Le Prince de Conty au P. des Champs. (3) Epistole Principis de Conty ad P. des Champs Jesuitam. (4) Seculo 5. in synopsi cap. 3. art. 3. §. 13.

vaise. Vous repondez, que ce reproche est injuste, parce que vous vous en tenez au Concile de Trente, & à la condamnation des cinq Propositions. On vous dira, que cela ne suffit pas. Cette declaration prouve bien, que vous n'etes pas Lutheranien, ni Calvinien, ni Janseuiste sur les matieres de la grace; mais elle ne prouve pas, que vous n'etes pas Semipelagiens. Vous n'en convaincrez point les Savans, jusqu'à ce que vous ayiez renoncé à la doctrine de votre Molina, pour embrasser celle de S. Augustin, & de S. Thomas: comme un grand Prince le temoigne dans ses Lettres (2) à un de vos venerables Peres, qui avoit eu l'honneur d'avoir esté son Regent. Quod ita latine legas: „ Illud „ tamen verum est, potuisse, ac etiam debuisse „ Natalem Alexandrum, Christi gratiam contra „ veros illius hostes tueri melius, quam in Theo- „ logia Dogmatica, & Historia Ecclesiastica tu- „ tatus est. Molinianorum opinionum cum Se- „ mipelagianorum erroribus consonantiam pro- „ fiteri debebat, quam eruditissimi illius Instituti „ Doctores, Lemosius, & Alvarezus demonstra- „ runt in celebri Auxiliorum Congregatione: „ ubi Gregorius de Valentia, Societatis vestræ „ Theologus, tanto pudore suffusus est, quod „ præfente Pontifice Maximo, Eminentissimis „ Principibus, cæterisque, qui aderant, eruditis- „ simis Consultoribus, a Lemosio devictus esset, „ ut animi mœore, atque irritatione confectus „ sit. Urgere debuerat Alexander Clementis VIII., „ nec non laudate Congregationis præjudicia ad- „ versus Molinianos errores; nec ita vobis tem- „ perare, ac parcere, aut in ipsos Scriptores do- „ melicos arma vertere. Ulter, ac vindex Deus, „ qui sæpius, per que peccant homines, per „ hæc & homines punit, vobis jam admittitis, „ pœnas ab illo meritas repetit. Eum vos ad „ præfens impetitis, huic illuditis, ejus Theolo- „ giam moralem arroditis. Quid ergo in inimi- „ cos moliremini? Perverfa vobis de gra- „ tia Christi doctrina objicitur: Injuriam con- „ fectum obtenditis; quod & Concilii Tridentini „ decretis, & quinque famosorum Propositionum „ damnationis stetit religiosissime. At facile repu- „ net aliquis, minus duo ista sufficere: sic enim, „ ut summe vincitis, vos a Lutheranis, Cal- „ vinianis, ac Janseuianis erroribus procul esse: „ at non id perinde conficitis, non esse vos Se- „ mipelagianos. Nulquam id eruditus probatum „ dabit, donec Molinæ doctrinæ nuncium „ remiseritis: uti magni nominis Princeps con- „ testatus est, datis Epistolis (3) ad venerabi- „ lem Societatis vestræ Theologum, quo is olim „ Præceptore usus erat. „ Sic sane Natalis Alex- „ ander; cui, te monente, uti Magistro discipu- „ lus, fidem adjungo.

Nec tamen illud dissimulandum tibi erat, Alexandrum iis ipsis Historiæ locis, quibus Molinianos, Scientiæ-Mediæ, & gratiæ congruè defensores, in Semipelagianorum errores dilapsos, pernegabat, eisdem tamen ad Augustino toto celo disjunctos agnovisse: quod potissimum in Romanis congressibus quærebatur. A sancti Augustini, inquit, (4) & discipulorum ejus sententia penitus alienos Molinam, & sectatores ejus, certo existimo: quæ Clementis VIII., & Consultorum doctissimorum Congregationis celeberrime de Auxiliis sententia fuit. Testem autem aut rejiciendum penitus, aut integrum recipiendum, jura statuunt.

Ergone, inquires, Molinianos Semipelagianos dicere liceat? Minime gentium. Ut enim hæc

ticum non facit error, sed pertinacia; nec rursus pertinacia censenda est, donec Ecclesiæ iudicio, cui obfistatur, accesserit: ita neminem Semipelagianum dicere licet, quantumvis intima ejus cum Semipelagianis erroribus consonantia demonstraret, donec ea nobis Ecclesiæ iudicio, ac denunciatione comperta sit. Quod tunc demum fiet, si qua post decennem translationem supremo iudicio matura sit est, Pontificia sententia dirimatur, aut ut verius loquar, si qua tandem decreta, ac delineata sententia est, ex juris formulis publicetur.

SECTIO QUINTA.

Quartus Eleutherii Liber excutitur, quo descriptam a nobis quarti examinis historiam cavillatur.

CAPUT PRIMUM.

Futiles Eleutherii in quartum examen, anno 1601. Rome habitum, declamationes, & exceptiones.

Non est hic animus, disputationem Theologicam instituire, ut lati in viginti Molinæ doctrinæ capita iudicii æquitatem elidi putas. Observandum, inquis, hoc loco, quod in congressibus, toto hoc anno celebratis, his sit ordo servatus: Ut auditis in unaquaque Congregatione Patrum Societatis vindictis, Consultores secreto convenirent, deputato Jacobo le Bossu, ex Consultoribus uno, qui Jesuitarum rationes, ipsi absentibus, eo, qua volebat modo, sensuque cæteris exponeret; ut le Blanc refert Lib. 2. Historiæ suæ, cap. 16. sic enim idem erat, hoc postremo, quod de molliendis, aut confirmandis Censuris agebatur, iudicio, Jesuitarum cause relator, interpret, & censor. Itane Bossium Jesuitarum absentium rationes exposuisse, dixi, quo volebat modo, sensuque? Quin potius id dididi, unde facile colligas, fieri omnino non potuisse, ut partis alterutrius momenta pro arbitratu cæteris exponeret, alterque, quam habere veritas ipsa. cum scriptorum utriusque partis transumpta in antecessum virum Censuribus traderentur, ut omnia per otium expenderent singuli, suaque domi suffragia pararent, antequam iudicandæ causæ relatorem in commune audirent. Cui vero hæc iudicii forma non sapit, is summa quæque Romanarum Congregationum, ac supremarum in Gallia Curiarum iudicia nauci faciat. Vix enim aliter gravissimas lites expediunt, quam datis iudicandæ causæ relatoribus, qui de lite ad consilium, semotis partibus,

Et primo, nemini non inepta videbitur tua illa de generalis expostulatio; quod me, meoque egregie palparim, & Molinianos Actores inique momorderim, dum partis utriusque responsa, in cætu data, commemoravi: Nihil enim in ea habitorum congressuum narratione de meo addidi, sed omnia ex ipsis Notarii Commentariis delibavi. Immo non mea, sed contemptissima Notarii verba sunt, quæ tibi præ cæteris stomachum movent: multum e contrario placitura, si ut Alvarezio, ac Lemosio palmam adjudicant, ita Gregorii de Valentia gigantomachias, a Societatis Scripioribus decantatas, retulissent, aut Petro Arrubali, radiato capite sidera pulsanti, epinicum cecinissent.

Cæterum, quod a proferendis ex integro disputatorum argumentis abstinerim; nec Lemosii, & Alvarezii invictas, quas vocito, demonstrationes, decretoria momenta, firmas, validasque probationes, quæ refutatos Molinæ vindices dixi, ex integro recitari; ea potissima causa fuit, quod nudam agitatae lites Historiam scripserim, non Theologicas de controversis inibi dogmatibus disputationes instaurarem. Quapropter satis officio consultum putavi, si missa momentorum, quæ utrinque afferbantur, prolixiori enarratione, habitorum Congressuum exitum ex Notariorum Actis recitarem: quid in unoquoque disputatum,

quid definitum, quid quæque dissidentium pars sibi vellet, quid quæque negaret, quæ palmam tulerit, quæ victa cesserit, ex publicis tabulis compendio refererem: eo plane modo, quo Cardinalis Pallavicinus, (cui Tridentinæ Synodi Historiam scribere, at non item polemicas controversias redintegare, animus fuit) Theologorum congressus, singulis sessionibus præmitti solitos, simpliciter enarravit, tacitis, aut certe leviter indicatis, quæ magno sæpe numero edebantur, argumentis, ut suas quique opiniones, atque sententias communiarent: a quo tamen nemo prudens, vel ex ipso Protestantium grege, jure quæserit, quæ ex me elato supercilio sciscitaris: Cur Theologorum decretoria momenta, in cætu allata, tam sæpe jactet, tam raro profert? Cur gemulum ille solem non videant? Cur desistant venditate demonstrationes? Alia quippe sunt disputatoris, alia historici partes.

Neque est, quod interroges: Eocur tandem post tam præclarum Thomistarum triumphum, clademque Jesuitarum, damnatio ista subsecuta non est? Quibus enim id arbitris tribuendum venit, diximus Lib. 2. a capite 25. ad 29. usque nec commentitias esse, nec ad arbitrium fictas, probabimus cap. 3.

Paris furfuris est adjecta animadversio, qua vel una totius peracti examinis auctoritatem elidi putas. Observandum, inquis, hoc loco, quod in congressibus, toto hoc anno celebratis, his sit ordo servatus: Ut auditis in unaquaque Congregatione Patrum Societatis vindictis, Consultores secreto convenirent, deputato Jacobo le Bossu, ex Consultoribus uno, qui Jesuitarum rationes, ipsi absentibus, eo, qua volebat modo, sensuque cæteris exponeret; ut le Blanc refert Lib. 2. Historiæ suæ, cap. 16. sic enim idem erat, hoc postremo, quod de molliendis, aut confirmandis Censuris agebatur, iudicio, Jesuitarum cause relator, interpret, & censor. Itane Bossium Jesuitarum absentium rationes exposuisse, dixi, quo volebat modo, sensuque? Quin potius id dididi, unde facile colligas, fieri omnino non potuisse, ut partis alterutrius momenta pro arbitratu cæteris exponeret, alterque, quam habere veritas ipsa. cum scriptorum utriusque partis transumpta in antecessum virum Censuribus traderentur, ut omnia per otium expenderent singuli, suaque domi suffragia pararent, antequam iudicandæ causæ relatorem in commune audirent. Cui vero hæc iudicii forma non sapit, is summa quæque Romanarum Congregationum, ac supremarum in Gallia Curiarum iudicia nauci faciat. Vix enim aliter gravissimas lites expediunt, quam datis iudicandæ causæ relatoribus, qui de lite ad consilium, semotis partibus,

Tertia succedit criminatio omnium audacissima. Me scilicet Censuram septimæ propositionis Molinæ, adjecta negatione, corrupisse; quam tu potius, hac ipsa negatione detracta, vitali. Sic enim ego Censores decernentes retuli c. 16. lib. 2. In dogmate de faciente, quod in se est, ex viribus naturæ, non recedit Molina a doctrina Cassiani, quem apparere Doctorem habuisse in scribenda ista sua Concordia liberi arbitrii cum Gratia Divina, tum ex locis citatis in Censuris allata propositionum, tum etiam ex Cassiano Collatione 13. cap. 8. & in eodem libro S. Prosperii contra Collatorem cap. 3. §. Qui cum in nobis: que cum S. Prospero ibi dicit Non posse ad sensum catholicum reduci, ostendit, universam hanc doctrinam Molinæ sinistre traditam esse; nec nos posse catholice illam interpretari &c. Atque ita lectum a me, Romæ cum

(1) Animadversiones PP. Prædic. adversus defensiones PP. Jesuitarum.

cum degerem, in Coronelli Authographo: ita & ante me lectum ab iis, qui brevem Actorum Narrationem, ab annis ferme triginta, plusquam vicies publicaverunt, Bruxellis, Leodii, Coloniae, Lovanii, Amsterodami, Francofurti &c. Ubivis enim adiecta negatio legitur. Et quidem, eam esse necessario interfendam, ratio ipsa suadet, ac Censuræ contextus. Si enim non recessit Molina ab illa ipsa Cassiani doctrina, quam D. Prosper dixisset posse ad sensum catholicum revocari; quid ex hac ipsa positione intulissent meritis Consultores, non posse Molinæ sententiam in catholicum sensum inflecti; cum ob id potius inflecti potuisset, ac etiam debuisset?

Nec certum momentum habet, quod Magistra li supercilio pronuncias: Manifestum esse, Censores nullam illic negotiationem apposuisse: tum quod S. Prosper loco in Censura laudato dicat, Cassiani periodum, Qui cum in nobis &c. sensu Catholico accipi posse, ut inspicienti patebat; tum quod Patres Societatis eo nomine Censores redarguerint, quod cum saterentur cum Prospero, Cassiani doctrinam posse ad sensum Catholicum revocari, inde mira quadam dialectica colligerent, non posse Molinæ doctrinam reduci ad Catholicum sensum. In primo quippe tota aberrans via, tantumque abest, ut Cassiani periodum Catholicum sensu accipi posse, dixerit Prosper, ut potius non posse illam, juxta posita Cassiani principia, in Catholicum sensum inflecti, multis ostendat. Cum enim prima fronte objecisset sibi, quem sensum Catholicum obtendere posset Cassianus, iis in verbis octavi capituli (1) Collationis 13. Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam consensum, atque confirmat, & incitat ad salutem incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emisisse. Si nimirum reponeret Cassianus, se bonæ voluntatis ortum intellexisse, cuius initia a Deo plantata & inspirata supponatur; eum illico sensum repudiare doctrinam Aquitanicam, uti principis a Cassiano positus cap. 9. minus contententem. Properi verba sunt, post recitatum illam Cassiani periodum: Et hic potest ad huc dicere, illius se ortum bonæ voluntatis significasse; cuius a Deo sunt plantata, & inspirata principia; quia ab illuminatis jam cordibus possunt salubres prodire conatus, qui ideo ipsius bonis propriis esse dicuntur, quia jam honorum conatum accepit facultatem, ut eorum semina ad suum referantur auctorem. Sed capitulo 9. subdit, & dicit. Unde non facile humana ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, a querentibus inveniatur, aperiatque pulsantibus; & rursus inveniatur a non querentibus se; palam appareat inter illos, qui cum non interrogabant; tota die extendat manus suas ad populum non credentem sibi, & contradicentem; resistentes, ac longe positos vocet; invitos attrahat ad salutem; peccare cupientibus explende copiam subtrahat voluntatis; ad nequitiam properantibus benignus assistat. Jam hic per inscrutabilem diversitatem introducit definitio, qua docetur, multos ad gratiam venire sine gratia, & hunc affectum petendi, querendi, atque pulsandi habere quosdam de vigiliantia libere voluntatis. Hæc D. Prosper. Quasi dicat: eatenus Cassiani propositio, Qui cum in nobis &c. Catholicum sensum acciperet, quatenus intelligeretur de bonæ voluntatis ortu, cuius a Deo sunt plantata, & inspirata principia; necnon de bonis conatibus, quorum semina in Deum referantur auctorem: sed nec eo sensu intelligi propositio illa potest: siquidem cap. 9. eam inter

(1) In aliquibus editionibus est cap. 7.

vocatos distinctionem inducit Cassianus, ut multos contendat ad gratiam venire sine gratia; huncque affectum petendi, querendi, pulsandi, habere illos de vigilantia libere voluntatis: non ergo Catholicum sensum accipere potest propositio Cassiani, ejusdemque principis contententem. Annon hæc digna Aquitanici disputatio? Atque hoc ipsum est, quod pari argumentandi formula colligebant Romani Censores adversus Molinæ propositionem: Quoniam facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam &c. non posse scilicet illum in Catholicum sensum inflecti, cum is expresse doceat, posse hominem ex viribus nature conari ad detestanda peccata commissa, quem conatum consequatur infallibiliter auxilium Gratie Divine, affectusque, & donum gratie supernaturalis. Alterum objectionis ruz caput minus incommodat. Quid enim Censores in edita Censura falsi sint, quidve negarint, ex ipso Notarii autographo accipiendum, non ex inflectis Censuram otioribus, qui vel in mendosum scribas codicem inciderunt, vel textum ipsum, quo liberius cavillareatur, de industria vitiantur. Nemoque est, qui, si rem totam, fementis præjudiciis, æstinet, non illud facilius sibi persuadeat, potuisse Gregorium de Valentia, aut forte Petrum Arrabalem, Censuram, detracta particula negante, corrumpere, quo liberius tricarerent, quam undecim Romanos Censores illud iudicii, mentisque deliquimus passos esse, quod ne tirunculis quidem litterariis condonares; ut, supposita eadem duorum doctrina, unius intelligi catholice posse, alterius non posse, contenderint.

Quartum mihi probrum objicitur, quasi meras fabulas, ab omni veri specie remotissimas, divenderint lib. 2. cap. 17. ubi, Lemosio adversus undecimam Molinæ propositionem perorante, Jesuitas secum mutantibus observari, qui, conjectis in Secretarium oculis, perversum Molinæ sensum fat bene in aperto positum, eidem innærent. Quidni vero id observassem, aut quid id fabulis accenseatur, facti fidem locupletissimam faciente Coronello ipso, cuius in Actis ita legitur? Interim, dum hæc a Patre Lemosio dicebantur, mutuo missitantes Patres Jesuitæ significabant, satis evidens fuisse sensum Molinæ; & Patre Arrabal, conjectis oculis in Secretarium, annuebat ei vultu, & oculis. Sed neque a veri specie abhorret hæc observatio, tametsi, dicendi finem faciente Lemosio, Molinæ vindicias redintegravit Societatis Oratores. Qui enim jam ab ipso Congregationum exordio palam contestati fuerant, non ideo se Molinæ doctrinæ patrocinium suscepisse, quod eam ipsi omni ex parte veram arbitrarentur, sed quod sua saltem probabilitate frueretur; id quoque sibi fas esse existimarunt, propositionem, quam falsam ex proprio sensu certo crederent, & a Lemosio falsi convictam, oculis, gestuque subinvenirent, eandem, uti probabilem, ex aliena sententia vindicare: Maxime, ubi, suscepta causæ procuracione, commodandæ advocacionis obligatio contracta fuit.

Quinto mihi loco effingitur antilogia occasione propositionis decimæ tertie Molinæ: Quod illam in octo partes distributam dixerim, quas uti totidem fidei capita proponitur; itaqueque subjunkerim, Valentiam siluisse tandem, quin ad scopum Molinæ, sensumque prædictæ propositionis probandum accederet. Quo loco desultorium levitatem observas. Imprudenter tamen, & inconsulte, Utrumque siquidem veritatem habet. Cum enim confixæ a Consultoribus assertionis partes omnes in varios sensus diltrahi possent, juxta quo-

quorum intelligentiam eadem vel recipiende erant, vel reprobandæ; id unum Molinæ vindici curæ fuit, partes illas omnes, nullo sensum discrimine posito, uti fidei capita, vindicare: an autem ille ipse Molinæ sensus esset, quem Catholicum esse ostenderat, ne leviter quidem attigit. Atque hoc ipsum est, quod his verbis significatum voluit: Siluisse illum, quin ad scopum Molinæ, sensumque prædictæ propositionis probandum accederet.

Sexto præpropere festinationis arguuntur a te Romani Censores in eo examine peragendo; vel ob id maxime, quod de decem prioribus Molinæ propositionibus judicium tulerint, nondum acceptis, ac ne petitis quidem iteratis Jesuitarum responsionibus. Mirum? Sex amplius menses, ad viginti propositiones denuo confendas, insumpti sunt; celebrata ad id Congregationis triginta septem; partes ad longas disceptationes admittæ; distributa viritum singulis Censoribus peculiaris cuiusque propositionis oppugnationes, ac defensiones; audita insuper de qualibet propositione, ejusdemque tum oppugnationibus, tum defensionibus renunciatio: & tamen, si Superis placet, in tempestivæ accelerationis incitantur? Quorum porro? Quia, inquis, de decem prioribus Molinæ propositionibus judicium tulere, nondum acceptis iteratis Jesuitarum defensionibus. Quasi vero non jam satis defensionaria, ac scripturum obtulissent, ut causa iudicio matura censori posset, nisi & aliæ proferrentur. Certe nihil ultra summo jure desiderari potuisse, significavit Clemens VIII., dum, accepta Jesuitarum supplicatione, qua tradi sibi postremas Dominicanorum animadversiones precabantur, iteratas repositiones paraturi; ita petitorum importunitate exolvit sese, illorumque votis annuit, ut nihil tamen pro imperio Censoribus jussisset, sed totum potius in illorum arbitrio reliquerit, illustratissimos Congregationis Præsules his verbis affatus: (1) Ut vobis verum fatear, adeo me isti perturbant, ut pene mentis errore ex perturbatione me afficiant; ac propterea, si vobis videbitur, poteritis illis concedere observationes Patrum Predicatorum in suas defensiones, quas postulamus.

Postremo conatu, levam in partem, ac secus quam nativa vis postuler, Historie verba detorqueantur, ut quæ a me, ad majorem postremæ propositionis Molinæ labem adnotata sunt, ad ejusdem quodammodo purgationem dicta videantur. Patrum Jesuitarum, inquit ego cap. 22. lib. 2. Responsiones apologeticas pro vigesima Molinæ propositione exposuit D. le Bossu ad Consultorum cætum, EMULISQUE SUPERGRUIS difficultas agitata est. Demum pristina Censuræ subscribendum censuerunt omnes, Bovio duntaxat excepto. Quæ quidem suffragiorum emulacione, juxta summos latini eloqui Magistros, hæc aliud significatum voluit, quam mutuam ardentis in terrento suffragio studii imitationem, & laudabilem in confingendo errore contentionem. Emulari quippe significat, cum quadam invidia, atque ambitione, & quasi certamine, conari alienum opus superare, ut inde majorem gloriam consequamur, quam ille, quem emulamur. (2) Tu vero, quæ es, interpretandi solertia, suffragiorum emulacionem, repugnantiam, ac diffusionem exponis; ut, me velut auctore, atque suffragiore, concludes: Censores, quantumvis præconcepitis suis opinionibus tenaciter affixos, se ipsos seisdisse in duas partes, amulicque diu suffragis certasse, incertos, quo se verterent; donec tandem ferventiorum, ut alias, sollicitationibus incli-

Serry Tom. II.

(1) Lib. 2. cap. 19. (2) Thesaurus linguæ Latinæ. (3) Vide sibi. 2. cap. 24.

nati, victique, qui pro hujus propositionis innocentia steterant, pristinis Censuris inhærentem, dum, decreverunt. Redde, igitur, Eleutheri, non utique verba mea, quæ fide fat bona recitas, sed quem ignoranter adulteras, verborum meorum legitimum sensum: & evanesceat calumniam tua.

CAPUT II.

Rerum Romæ gestarum, post peractum quartum examen enarratio, asserta, & a falsis Eleutherii interpretamentis, corruptelis, ac rebis vindicata.

Multa nos, post peractum quartum examen, Romæ gesta, ut publicare recensimus cap. 23. & 24. quæ tu aut cavillando depravare, aut etiam, quod lepidius est, in nos regerere fatagis. Bonis ne, malivæ avibus opus facias, perpendamus.

Primum illud notatum a nobis est: Interea, quæ secreto in Congregationibus tractata fuerant, publica fama serabatur. Hic tu statim pulverem excitas, quo Censuram, Molinæ adversantium, gloria obscuraretur; tanquam ab iis ipsis, non a Bovio, non a Plumbino Molinæ patris, secreto religio violata sit. Ecce ita, rogo te, Eleutheri? Scilicet, inquis, quod isti ad postremum Conventum, die 29. Octobris celebratum, ubi editorum antea Decretorum recensio, ac recognitioni subscriptum est, non adfuerint. Argue! At, si Congregationibus universis, quibus quartum illud examen omnino stetit, interfuisse perhibentur; nec alia de causa, ab eo postremo conventu, jubente Pontifice, exclusi sunt, quam, ne, quod prodiderant hætenus, nunc etiam Congregationis secretum evulgarent, ut in Pegna Diario scriptum est; na tu loquaciter, & importune litigiosus, qui arcani fidem non ab ipsis, sed ab aliis Consultoribus violatam, effutis? Reclamas tu quidem, ut video, nec eam date Bovio, & Plumbino repulse causam agoocis; sed aliam pro ingenti audacia commiseris, toti Congregationi contumeliosam: Ut scilicet duorum istorum, uti Patrum Societatis vindicias, pro Molinæ defensione scripto exaratas, nemine contradicente, eo, quo velint, modo interpretari, describere, & Pontifici compendio exhibere possent. Verum quid aliud istud est, quam sterilem calumniam aperta insolentia tueri velle? Quasi vero in Consultorum arbitrio positum esset, ut Collegas, ab Apostolica Sede datos, pro nutu excluderent, Pontifice inconsulto; aut qui inique, temereque exclusi fuissent, repulsam tulissent indolentes, nec iustas ad Clementem querelas illico detulissent. Quare, quod toties Pontifici supplicavit meritisissimi Præsules, ut hæc nova Congregationis iudicia Molinæ vindiciis minime traderet, ne scilicet novas supremo iudicio moras injicerent; utque rem quantocius Pontificia auctoritate definiret, non inique, ut calumniaris, occultandæ, ac detinendæ veritatis animo factum est; sed eo plane religionis sensu, atque consilio, quo Rex Catholicus toties sub id temporis per Epistolas insistit, ut controversiam, attentæ urgenti necessitate, brevi dirimeret; ne ex iudicii dilatione majus in dies periculum oriretur. (3) Nisi forte & hæc quoque calumniam pissimo Principi importare velis, ut Molinam tuam inique vexatum, damnatumque voluerit: quod & is, non focus ac Consultores, & Dominicani, iudicium maturari, supplicavit.

Alterum, hoc ipso rerum eventu, observatum

N

a no-

a nobis est: Consultores, audito Clementis responso, quo ne annum quidem sibi suffecturum significavit, ut novam illorum Censuram, allaque celebratarum Congregationum instrumenta perlegeret; id inter alia reposuisse: *Non omnia illi minuta im legenda esse, quem & ingenii felicitas, & singularis eruditio tanto onere liberare merito possit.* Et hic quoque maligna, perinde atque præpostera glossata inferis: sperasse videlicet Consultores, hoc prætextu, suavi adulatione condito, cause cognitionem oculis videre volentis Pontificis se subducuros, . . . eisdemque conatos esse, Pontificem circumvenire, ut, ne in specibus quidem Jesuitarum vindictis, rem gravissimam simili præcipitanda desiniret, qua ipsi in censurando usi strenue fuerant. *Itane, Doctor egregie, non omnia in ingenti scriptorum fasce minutatim legere, idem esse putas, ac no eas quidem inspicere, illarumque cognitionem oculis subducere? Eadem dictu, sedum auditu! Si forte subinuant Consultores, non omnia illi in ingenti scriptorum mole minutatim legenda esse, quod facile præ ingenii felicitate cuncta pervaderet, illico, tanquam vasti, ac versipelles, malique doctus Instrudi, palpones traducuntur, qui hoc prætextu, suavi adulatione condito, cause cognitionem Pontifici subducere molirentur: cum interim laudibus fertur, ac celo pene inferitur Bellarminus, qui altero post mense familiarem Clementi VIII. Epistolam dabat, qua idem ferme, ac verbis etiam amplioribus, habebatur: parcendum scilicet laboribus, atque vigiliis, nec ultra chartas evolendas, ac lectandas, que satis jam evolutæ, ac lectæ essent: *Tanta fatica della Santità vostra non è necessaria, e già ha visto, e letto essi.* (1)*

Tertium notabamus: obstupuisse Consultores, præsertim Pontificæ, atque indigne tulisse, quod, quarto etiam examine absoluto, necdum se satis jusse audire, Jesuitæ dicerent. Tu, qua vales, imponendi facilitate, atque audacia, ut ipsimet Pontifici stomachatos Censores representantes, eisdemque, uti rumulantes, atque audaces, bonorum omnium probris obicias, id a me scriptum, fingis, indignatos scilicet illos, quod necdum rem decisionis maturam, Jesuitarumque vindictas nec visas satis, nec expensas esse. Pontifex respondisset. Quod tantum abest, ut vel scripserim ego, vel a Clementis ore excederit unquam, ut contra potius ingemuerit Pontifex, quod isthac Molinæ Vindices essent.

Pergis nostra corumpere, ac tum maxime, dum ipsa Historia nostra verba reddidisse, videri vis. Sic enim ego cap. 23. libri 2. „ Jesuitas „ ad naufragam usque & scripto, & verbo auditos, „ Molinæ vindictas toto pene anno discussas esse, „ se, Concordiæ loca diligentissime recognita, „ judicium demum, presentibus, ac etiam perorantibus partibus, constitutum, conclamarunt „ Consultores: nihilque propterea causa esse, cur nugacem proflus, & absquam expostulationem exciperet: *(Quia nimirum necdum se satis jusse audire querebantur.)* Nec certe ea se moveri, „ significavit infracti animi Pontifex; quin potius pristini propositi tenax, rem se se, absoluta Actorum lectione, definiturum, spondidit. Quibus utique verbis id aperte significavi, stetit Pontificem in sententia adversus Jesuitarum expostulationem; idque illi hæsisse animo, satis Molinæ Vindices in iis Congressibus auditos esse, quorum Acta legenda illi duntaxat essent, ut causam supremo judicio dirimeret. Quid tu porro, ut hæc in Censores verba, detorqueas, ac tan-

quam expressam a me ipso confessionem ostentes? Isthæc me, respecta periodi parte, aut dicentem, aut fatentem inducis: „ Cum Censores reponerent, Jesuitas ad naufragam usque & scripto, & „ & verbo auditos, Molinæ vindictas integro pene „ ne anno discussas, Concordiæ loca diligentissime „ me recognita; „ judicium, presentibus, ac etiam „ perorantibus partibus, constitutum: hæsit nihil „ ominus in sententia Pontifex, ac pristini propositi tenax, rem se se, non nisi absoluta Actorum lectione, definiturum, respondit. „ Tanquam si Clementem, Censuribus repugnantem, scripserim, aut illos in hoc obstinatos innuissem, ut causa, ne lectis quidem Actis, a Pontifice finiretur. Vah terram putidamque calumniam!

Sed ecce ad graviora digrederis, que te acrius in nostra Auxilliorum Historia pupugerunt: allata scilicet monumenta, que Clementem VIII. de ferenda in Molinæ doctrinam damnatione, jam tunc, ab anno 1601. desinente, deliberasse, certo probant. Et nos quidem datas a Clemente VIII. privatis colloquiis suscepti hujusce consilii significationes adnotavimus, dies adscriptimus ex Clarissimi Pegnæ Diario, non pro arbitrio finimus, ut exprobas, Sit ille porro & tibi, & tuis projectæ fidei testis, cui auctoritatem infans calumniis passim eliditis: æquis tamen æstimatoribus, hocce præsertim in capite, probatur maxime; cum eo melius sciret nemo, quid ipsi Clemens VIII., quid Hispaniarum Oratori, cui a consiliis intimis erat, privatis colloquiis renunciasset. Sed nec ita morosi sumus, quin alium tibi testem proferamus, tuo etiam, tuorumque iudicio, locupletissimum, optimumque; cujus suffragatione certo confidet, Clementem VIII. jam tunc, ab anno 1601. desinente, aut certe, quod parum refert, 1602. ineunte, de ferenda damnatione deliberasse, hocque a se susceptum consilium intimis, ac familiaribus aperuisse; ne nos ultra nugivendos appelles, qui isthac, tanquam viva vocis oracula, vendiderunt, nullumque interim, quo dicti fides confidet, instrumentum proferamus.

Prodeat igitur e Societate Jacobus Fuligattus, cap. 30. Vita Cardinalis Bellarmini, Italice scriptæ. Is, recentis Bellarmini scripturionibus in Molinæ causæ defensionem adversus Dominicanos sub hujus Concertationis initia elaboratis, ita subjungit: *Li quali non dispiacquero al Papa Clemente, e diede segno di gradir la fatica. Nel progresso però del tempo assai chiaramente si vide, a qual parte maggiormente inclinasse Sua Santità; e piu' volte si dichiarò con varii Cardinali, di voler questa controversia definire. Non si sbigottì per tanto il Cardinal Bellarmino, nè lasciò d'aver fare con gran libertà, e candidetza Papa Clemente, che questo era negozio di molta considerazione, e conseguenza, nel quale bisognava camminar con gran cautela. Nondimeno parendo al Papa d'aver fatta la diligenza necessaria, replicò di voler risolutamente definire. Ripigliò allora il Cardinale Bellarmino, con dire: Vostra Santità non la definire. . . . Sed, che questa libertà contro il manifesto sentimento di Papa Clemente diede occasione ad alcuni di pensare, che il Cardinale Bellarmino non si fosse mantenuto nella prima benevolenza: E tanto più, perchè dopo lo videro andar alla residenza, con esser provveduto della Chiesa di Capua. Qua ita latine sonant: Non displicere Clementi VIII. Scripturionibus illis, quin & conatum probavit. Progressu tamen temporis satis aperte innuit, in quam partem potius inclinaret Sanctitas Sua: SE-*

PIUSQUE VARIIS CARDINALIBUS DECLARAVIT, VEL DE SE CONTROVERSIA ISTAM DEFINIRE. Nec tamen despondit animum Bellarminus, nec unquam Clementem libere commoveret, rem magis momenti verti, in qua præcæto esset opus. Ratus nihilominus Pontifex, satis se diligentem, ac studii posuisse, subjungit, velle se omnino Controversiam definire. Ad quem tunc Bellarminus: Nequaquam ita erit. Tum enarrato altero Bellarmini colloquio cura Cardinali Montalio, de quo nobis postea sermo erit, ita profectur Fuligattus: „ Equidem ea Bellarmini sentiendi, ac loquendi libertas, contra „ manifestam Clementis Papæ sententiam, non „ nullis occasione dedit exillimandi, eum a pristina Pontificis benevolentia excidisse; maxime, „ cum eum paulo post Capuanum Archiepiscopum factum, Roma ad Pastoralis munus per se „ se obeundum, discedentem viderunt. „ Hæc Fuligattus: cujus in verbis tria ad institutum nostrum observanda veniunt. Primum, Clementem VIII. in partes Dominicanorum inclinasse; immo hanc ipsam fuisse manifestam Clementis Papæ sententiam, que a Bellarmino, Societatis causam agente, tanta tunc libertate oppugnabatur. Alterum, Clementem VIII. sæpius variis Cardinalibus declarasse, velle se Controversiam istam definire. Quod utique de definitione in gratiam Dominicanorum contra Molinam intelligere, necesse est: cum is ad illorum partes accederet, eorumque sententiam manifeste teneret. Tertium, eas suscepti jam consilii declarationes, variis Cardinalibus, ac ipsi etiam Bellarmino, aliquanto antea factas esse, quam is Archiepiscopus Capuanus crearetur, Capuanæque iter arripere. Cum itaque Ecclesiæ Capuanæ Pastor impoſitus sit Bellarminus, eadente Februarii anni 1602., ac tum ad excolendum gregem perrexerit subsequente Aprili; reliquum profecto est, ut anno 1601. desinente, aut certe 1602. ineunte, ferende sententia consilium interit Clemens, idemque intimis aperuerit.

Quid porro vetat, Clementem VIII. hoc idem Clarissimo Pegnæ, ac Duci de Sessa, Hispaniarum Oratori, aperuisse, quod variis Cardinalibus aperuerat? Maxime, cum ii repetitis Catholicis Regis Epistolæ sub id temporis obulissent, queis Apostolicam definitionem maturari, nec ultra differri, precabatur. (1) Immo quis non videat, Clementem id Regi Catholico per illos ipsos Administratos renunciare debuisse, quod jam secundum ejus preces, & vota facere constituerat?

Ex dictis sat bene retusas habes cavillationes, ac stropias, quibus monumentum alterum, a nobis in Historia prolatum, elidere niteris; quo susceptum jam tunc a Clemente dammandi Molinæ consilium probabamus ex Bellarmini cum Cardinali Montalio collatione, a Fuligatto, & Petra-Sancta, Societatis scriptoribus, recentis. Quid enim loqueris, nisi vana? *Falsum est, inquis, Colloquium illud a scriptoribus vite Bellarmini referri habitum anno 1601.* Hic enim annus ab iis non designatur. Immo, qui colloquium cum Cardinali Montalio, uti cum Clemente habitum dicunt aliquanto antea tempore, quam Ecclesiæ Capuanæ sacris admoveretur Bellarminus, eoque iter arripere, satis profecto innuit, habitum illud esse anno 1601. desinente, aut certe, quod parum refert, anno 1602. ineunte; uti, facta jam computatione, demonstravimus. Neque aliud significatum volvere laudati scriptores, dum inquirunt, necessario contigisse colloquium illud triennio ante Clementis obitum; cum Cardinalis Bellarminus tres annos

nos postremos Pontificatus ipsius in urbe Capua commoratus sit. Clemens enim die 3. aut 4. Martii 1605. e vivis excessit: atque ita, quod antecessit, triennium, ineunte Martio anni 1602. exordium duxit. Nec tertium præcise annum desinunt scriptores illi, quo ista Roma contigerit, antequam satis concederet Pontifex: at id unum, ut summe, voluit, serius contingere non potuisse, ob allatam videlicet rationem abentis postremo triennio Bellarmini; potuisse tamen citius, ac ipso anno 1601. desinente. Etli, quocumque res cadat, pro re nihili certare, convinceris, qui de uno, alterove mense vitiligas.

Addis, aliud sane esse, de hac controversia velle Pontificem pronunciare, quod Cardinali Montalio factus est Bellarminus; aliud, Jesuitas potius, quam Dominicanos, velle damnare: maxime cum die 9. Martii 1601. ad Antonium de Padilla scripserit Bellarminus: *Speramus in Domino, sententiam, affirmantem prædeterminationem, & solentem in differentiam (2) a voluntate, judicatum iri saltem multum periculosam.* Equidem, si rem per se se unice spectes, idem profecto non est sententiam pronunciare, & Jesuitas condemnare: verum sententiam pronunciare, contra quam veller Bellarminus, Societatis procurator, & actor, (quod laudati Scriptores innuunt) quid aliud erit, amabo, nisi Socios condemnare? Atque hoc ipsum est, quod indicat Fuligattus, loco jam a me appellato, dum, recentis Bellarmini scripturionibus, in domesticæ causæ defensionem adornatis, ejusdem subinde constantiam, animique firmitudinem prædicat, quod, intellecta Clementis de ferendo iudicio voluntate, animum non deponderet. Huic enim exercendæ constantiæ locus non fuisset, nisi ferendum contra Societatem iudicium intellexisset. Novit hoc idem Christophorus Ortega, qui has ipsas Bellarmini cum Clemente Pontifice, & Cardinali Montalio collocaſiones recollens, contror. 3. de decretis, disp. 1. quest. 4. certam 3. datum Bellarmini responsum ita recitat: *De eodem Bellarmino fertur in ejus vita, dixisse Clementi VIII., nihil eum contra nostras assertiones definiturum.* Adeo nempe Ortega persuasum erat, Clementis verba, velle se, controversiam definire, significantis, haud aliter, quam de definitione contra Societatis assertiones, esse intelligenda. Et vero qui in partes Dominicanorum inclinabat, ut loquitur Fuligattus, eorumque sententiam manifeste remebat, quas, quæso, nisi partis adversæ, Molinæ scilicet, assertiones damnaturus erat, si, quod jam tunc animo constituerat, iudicium protulisset? Aliud itaque sit, uti clamas, de hac Controversia velle Pontificem pronunciare; aliud, Jesuitas potius, quam Dominicanos, velle damnare, si res ipsas per se se spectes unice; in Pontifice tamen sic affecto, quic in Prædicatorum sententiam ultro concederet, alterum alteri indivulso conjunctum est: nisi eum tibi iudicem fingas, qui quam iure potiorer partem crederet, eandem tamen iudicio damnaret. Nec me multum sollicitum habet Bellarmini, quam iactas, ad sodalem Epistola, nono circiter, aut decimo mense ante colloquium cum Clemente, & Montalio habitum, exarata. Potuit enim vir bonus, ac doctus, præjudiciis occupatus, inani spe duci, atque lactari, quo necdum tempore Clemens VIII. certam animo sententiam imberbat, necdum, quid ferret animo, familiaribus aperuerat. At tum demum spes illa decoxit, dum, rebus mature discussis, ferenda sententiæ consilium a Pontifice coepitum est.

N 2 Aquam

(1) Vide lib. 2. cap. 24. (2) Nota putidam calumniam, qua soliti erant Moliniani sententiam Dominicanorum aspergere; quali voluntatis indifferentiam amolirentur.

(1) Vide lib. 2. cap. 27.

Aquam igitur mortario tundis, Eleutheri, dum magno verborum apparatu ostendere satagis, non potuisti Clementem VIII. jam tum, ab anno 1601. desinente, de ferenda in Societatem sententia deliberare; seu quod non satis laboris, ac studii posuisset in controversia per se examinanda, seu quod privatas duntaxat Molinæ opiniones expendissent Romani Censores, non communes Societatis de Divinis auxiliis assertiones. Nugæ profecto, nugæ. Facili enim quaestio veritur, in qua ora tibi vel ipsi domestici verberant. Non potuisti Clementem deliberare, obstitata mente contentis: & ecce deliberasse reipsa, scribit Sylvester a Petra-Sancta lib. 6. de Vita Bellarmini, cap. 7. Satis tunc laboris, ac studii non posuisse Pontificem, scribis, ut rem per se se dirimeret: Contra Fuligatum cap. 20. *Ratus Pontifex, satis se diligenter, ac studii posuisse, reposuit, velle se omnino, Controversiam desinere.* Nondum discussas communes Societatis de Divinis auxiliis opiniones; itaque ita nondum iudicio Pontificio maturas, obtendis: Contra Sylvester, loco laudato, deliberasse Clementem, agnoscent, pronunciant *desinendo circa controversiam de auxiliis Divinis Gratia, obortam inter Auctores Religionis S. Dominici, & Scriptores nostræ Societatis.* Ad hanc Domesticorum testimonium accedit Aetorum fides, quæ, te nugæ loqui, aperte convincant. Annon enim communes Societatis opiniones censentur, de gratia congrua, ac minime prædeterminante, quæ nona anni 1598. Congregatione discussa est? De Scientia-Media, quæ decimo ejusdem anni congressu discussa fuit? De prædestinatione, ex prævisis meritis pendula, quæ undecimo congressu rejecta est? Annon hæc ipsa communia Societatis placita in iudicium rursus adducta sunt anno 1601. quo viginti Molinæ assertiones in disceptationem venerunt? In his enim afferendis dogmatibus totæ sunt propositiones postrema a quarta decima ad vigesimam.

Neque refert, si forte Clemens VIII., hoc ipso anno 1601. desinente, aut etiam 1602. ineunte, postremam Consultorum Censuram, omniaque adjuncta documenta, nondum ex integro legerat. Aut enim ferenda sententia consilium coeperat, intellectu Consultorum decreto, quo superiorum annorum iudicia confirmaverant, lectoque adorum compendio, eidem Censuræ præfixo, quo universa, prolixo volumine contenta, in epitomen cogebantur; aut etiam in hanc mentem adductus erat Sanctissimus Pontifex, prius Censuræ, a Coronello totius ordinis nomine concinnata, diuturna meditatione; aut certe, quod opinari satius est, privato controversiarum quaestionum studio, cui noctes, diesque dicaverat, quo tempore suas delegati Censores Congregationes haberent. Quod postremum ex sodali Fuligato (1) discere potuisti, ne eum tibi Clementem fingeres, qui de damnando accusato ante deliberavit, quam accusationis capitula perpendisset. *Fecit ille Papa, examinare quæstionem causa da una Congregatione di Theologi, per videri de di giungere la verità; non lasciando da altra parte egli medesimo di spendervi molto tempo in studiarla, e discorrerle con persone intendenti.* Hoc est: Pontifex causam hanc a Theologorum congregatione expendi iussit, quo rem ipsam, veritatemque attingeret; multum aliunde temporis infusus in ea per se se expendenda, virorumque eruditorum iudiciis conquirendis.

Sed quo te tandem abripit livor impotens, Eleutheri, ut me rabido dente dilanies, quod Clementem, de ferenda sententia deliberantem, hæc una difficultate cruciatum, dixi, quam Fran-

cisco Pegna secreto aperuerat, *Ne videlicet Jesuitæ Apostolica definitioni subesse desisterent?* Et hoc enim-vero Diario suo inseruit Vir clarissimus, quo nemo certius scire potuit, quo fidei animi sensus aperuisset doctissimus Pontifex. Quid tu tamen, ut hanc qualemcumque notam infirmes? Audite Theologi, & expeditam defensionem accipite: „ Impudentem dicacissimi scriptoris calumniam abunde refellit perpæta Societatis erantia, & observantia, votumque peculiare obedientiæ, quo Sanctæ Sedi cæteris archibus illa constringitur. “ *Papa quam invictum, quam decretorum argumentum! Scilicet, quod fœnel votum fecerint Socii, hoc fallere nunquam possint.* Age nunc, Eleutheri, eaque expedita argutatione, nulli unquam Apostolicæ sanctioni aut refragatos hædus Socios, aut refragatos in ævum, nobis evince. Certe, Clementem haud ita temerè de Socii suspicatum, ne minus reverenter Pontificio iudicio parerent, non ille duntaxat querela, ac minæ, de quibus sequenti capite sermo erit, palam faciunt, verum etiam quæ demum sub Paulo V. contigisse referuntur, cum jam instructum esset Pontifici diplomatis specimen. Tunc enim, Claudius Aquaviva, Societatis Præpositus Generalis, liberali auctoria Pontifici significavit; se se quidem, si forte Sanctitas Sua eam infamiam notam Societati inureret, dena Jesuitarum milita præstare non posse, quin contumeliosa, & indecora Apostolicæ Sedis auctoritati non ferrent. “ Ita ex manuscripta Controversiarum itarum Historia, a Jesuita Possino elucubrata, recitat nuperus Auditor libri, gallice inscripti, *Extrat du Siège de Rome*, seu, De statu Romanæ Sedis, Tom. V. pag. 28. in Clemente VIII. *Le P. Equaviva, alors General des Jesuites, eut l'assurance de luy protester, (comme rapporte le P. Possin dans l' Histoire manuscrite, qu'il a composée de toutes ces disputes) que, si Sa Sainteté faisoit cette stricteure a sa Compagnie, il ne luy repondroit pas de dix mille plumes, qui pourvoient servir des choses fautiveuses a la gloire, & a l'authorité du S. Siege.* Dignum profecto Sociorum erga decreta Apostolica reverentiæ, & observantia documentum; dignum peculiaris obedientiæ specimen, quo Sanctæ Sedi cæteris archibus constringuntur.

CAPUT III.

Notate in Historia nostra Jesuitarum artes pro impedienda definitione Apostolica, certe, ac minime commentitias ostendantur.

Non esse commentitias, quas diximus, Jesuitarum artes, ex parte saltem agnoscis; etsi nec artes dici velis, nec illas, ad impediendam definitionem Apostolicam intentatas, fatearis.

Primam ultro concedis, qua periculosa Molinæ dogmata tenacius tunc, aperto Marte, propugnasse, atque disseminasse Salmanticiæ, notabantur. Nihil tamen esse, ais, quod carpi a quoquam merito possit; cum non ad incutiendum, ut aiebam, oritur schismatis metum, si contrarium decerneretur, factum id esset; sed ad dissipandas Romanæ Censuræ rumores, non ita pridem in Hispania disseminatos. Quid ergo adeo excedit Clement VIII., intellecta molitione? Quid tam instantes, ad comprimendam audaciam, Epistolæ scribi iussit, si nihil erat, quod carpi merito posset? Aut quid demum necesse erat, eo rerum eventu, atque concursu, periculosa Molinæ dogmata

ta tumidiori fiducia vindicare, publicis in Academia Salmanticensi disputationibus, ut vanæ suffurationes comperirentur, qua tam solemniter, tam publico Nuncii Apostolici decreto (1) retinenda fuerant?

Artem Jesuitarum alteram, Antonii Rosæ, Sylvanctenium Episcopi designati ministerio tentatam, nullo novo objecto momento, inficiaris: sed ad caput 14. lib. 2. Historiæ tuæ lectores mittis; ubi omnia nostra falsi convicta, videre liceat. Et non quoque ad caput 26. lib. 2. Historiæ nostræ lectores mittimus, ubi nostra omnia, novis momentis asserta, atque munita deprehendet; tuasque terras omnes, ex quaestionum magni momenti (2) Tractatore mutatas, in antecessum occupatas, ac prostratas invenient. Næ tu tamen lepidus Arithmetus, qui mihi, velut Episcopalis nominis depressor, succenseas, quod Sylvanctensem Episcopum designatum, faisorum de Academia Parisiensis rumorum fatorem, mendaciam tandem convictum, dixerim, ac productis Theologorum Parisiensium Epistolæ demonstratim? Dignus tu sane sacri nominis vindex! Nempe, cum Belgii Archiepiscopus & Episcopus numero multos, ac sanctitatis fama celebres, tanquam ira, odioque in Societatem incensos, quod Lessium Censuris inasserat, mille conviciis oneratis; cum probræ mille, atque dictæria in Præfules, Molinæ doctrinæ Censores, ab Apostolica Sede datos, evomeris; calumniatores, maledicos, falsarios, susurrones, iracundos, impostores, palpones, iniquos, conductitios, plenis buccis appellans: mox, simulata Episcopalis nominis reverentia, censuram in me virgam exeres, quod privatum Episcopum falsi convictum ostenderit; ac necdum quidem Episcopum, sed ex Regis duntaxat designatione nuncupatum. *Ejice, Eleutheri, primum trabem de oculo tuo; & tunc perspicis, ut educas festucam de oculo fratris tui.* (3)

De tertia tentata arte, quantum ad factum attinet, ne dubium quidem moves. Disseminatam Concilii celebrandi rumorem agnoscis; non tamen a Societatis susurronibus sparum, ais, sed a magno nominis Theologis, excitatam Controversiam haud indignam censentibus, quæ in Concilio œcumenico finiretur. Ecquo ergo, rogo te, censendos est nomine Roa ille, cujus historiam dedimus loco suo, (4) primus tentatæ machinationis architectus, in Romanæ Inquisitionis carceres conjectus hæc ipsa de causa, & jubente Pontifice Summo? Annon ille ineptus blatero, suffurroque, cujus meritis digna poena respondit? Sed suavit, inquis, hoc idem Clementi VIII. Bellarminus, cogendamque Episcoporum Synodum, inquit, quem tamen ineptum blateronem dicere, pudor sit. Et hoc certe: quid inde tamen, cum ob id ipsum severam a Clemente animadversionem subierit? Immo, cum esset ille præcipuus Molinæ causa patronus, ac Societatis professor, hæc ego morandi iudicii viam a Societate tentatam, merito dixi, quam a Bellarmino tentatam agnoscis. Majorem duntaxat in te dictorum constantiam velim, ac ne tæmet intra paucas lineas strangularis. Ecce enim, Bellarminum cogendum Concilium Clementi fuisse, non concedis modo, sed & laudatis ejusdem Epistolæ verbis evincis: mox dictorum oblitus, clarissimi Pegnæ suffragium nobis objicis, ut eam morandi iudicii viam, non a Jesuitis, sed ab aliis tentatam, ostendas. Audiamus nihilominus objectionem: *Periculosa (objecta clarissimi Pegnæ verba sunt) in universa*

sa Hispania convocandi Concilii rumor, a Molinæ fautoribus tanta cum astutia disseminatus, diabolica proflus arte augetur in dies. Ad quæ Pegnæ verba acutam observationem appingis: *Pegnæ rumoris istius auctores, non Jesuitas, sed Molinæ fautores facere.* Vah quam argue! Alii minus acuti Jesuitas Molinæ fautorum nomine, peculiari veluti nota præ cæteris distinctos, facile credant: tu, cui non vulgaris dialectica est, alios a Jesuitis notatos probas, quod Molinæ fautores indigentur. Male tamen habet, quod Jesuitas ex ipso nomine designavit clarissimus Pegna alia in Epistola, ad generalem Hispaniarum Inquisitionem data, die 25. Novembris 1601. ut ne his etiam in verbis nugari possis. *Roa spatium triam mensium eum convocandi Concilii rumorem tota passim urbe disseminavit: quæ de re anonnullis admonitus, respondit, hanc sibi a Jesuitis curam impostam esse, quod hæc una accitæ, ac depolarate causæ procrastinanda via suppetet.* A Jesuitis ergo, Molinæ fautoribus, enatum rumorem, pro compertoh abuit clarissimus Pegna, etsi, a quibus peculiariter ortum duxerit, ignoraret: quam ob causam Hispaniarum Quæitores hortabatur, ut diligenter explorarent, quinam de convocando Concilio misserent.

Calumniam Guillelmo Estio, doctissimisque Belgii Theologis haud levem impingis, dum & ab his quoque convocandi Concilii necessitatem agnunt dicis. Nihil enim Estius de cogendo Concilio inserit illa ipsa abs te laudata Epistola, sed de consulendis, ut summe, celeberrimis Academicis; nec quid ipse, sed quid alii nonnulli sentirent, obiter innuit: (5) *Sunt, qui rem tanti momenti esse putent, ut super ea merito pœterentur sententia Theologorum ex celeberrimis Academicis.* Quanquam tamen, si qui forte Theologi præstantissimi, partium affectu plane vacui, spectata argumenti gravitate, cogendum Concilium, bona fide censuissent; non idcirco excusationem haberet eorum susurronum audacia, qui, non nisi declinandi iudicii Pontificii animo, ad Concilium provocabant. Hinc toties ab his emissæ voces: *Clementem totum in partes Dominicanorum propendere; iudicio illum falli posse; non esse fide certum, verus-ne Pontifex esset; Censores, ab illo delectos, totis parti Thomistica mancipari; eisdem & minus æquos esse, & minus pro controversiæ gravitate peritos: quæ omnia mentem, quoties de celebrando Concilio susurrabant, haud satis recti consciam indicabant.*

Minus longe momentum habent, quæ ad purgandam Bellarmini Epistolam proferuntur, qua varia Clementi VIII. ad neccendas interim moras suggererat. Hujus nos Epistolæ fallacias notabamus, quas irritò conatu depellere niteris. Quid etenim? Concilium cogi, rogabar, data Epistola, Bellarminus: quod ego duplici ex capite suggillabam: 1. Quod is iudicia Romanorum Pontificum, per se se inficientia, libris editis propugnasset. 2. Quod, Concilii celebratione opus non esse, fateatur universi, ubi nec novus effatus est error, sed antiquus innovatus; nec nova ferenda sententia, sed pristina innovanda. Quid tu modo, ut Censuram infirmes? *Supponit, inquis, Historicus id, quod in questione erat, utri in errore antiquo haberent, an in Calviniano Dominicali, an in Pelagiano Jesuitæ.* Immo nil tale supponitur; quandoquidem, seu in Dominicanos, Calvinismi notatos, seu in Jesuitas, Pelagianismi convictos, iudicium sanciretur, non nova sententia ferenda erat, sed pristina innovanda.

(1) 21. Sept. 1601. (2) Questions importantes. (3) Luc. 6. (4) Lib. 2. c. 27. (5) Epist. die 28. Martii 1602.

da hoc est, vel Tridentina Synodi Canones, in Calvinistas editi, exponendi; vel Synodorum Africanarum, aliarumque sanctiones, necnon Decretales Romanorum Pontificum Epistolæ, in Pelagianos, ac Semipelagianos editæ, paulo distinctius explicandæ, ipsique, quod agebatur, argumentis accommodandæ. Urgebat subinde Bellarminus, ut Academiæ, & Episcopi consulerentur. Quod ego fallaciæ postulabam: cum id jam pridem in Belgio, & in Hispania, summo Moliniana doctrinæ damno, factum, non ignoraret Bellarminus. Reponis, factum id potius, summo Bannezianæ doctrinæ damno. Cujus responsi falsitas scilicet 3. cap. 3. retesta est. Tertio, Pontificiam a privato causa controversæ studio deturbat. Quod non modo a recta ratione aversum ostendi, verum etiam dissimulante attentatum; quasi vero non Cardinales etiam, non Episcopi, non Theologi, causa examinanda incumbere. Quid tu ad hæc, nisi obrittas jam, & a me milites resutatas, calumnias obrutis: fuisse scilicet Episcopos illos numero paucos, partium studio occupatos, præcipitata, atque informia tulisse iudicia? Quæ tamen, si, ut falsissima sunt, ita vera ponerentur, non fuisset idcirco a privato causa studio deterrendum Pontifex; quin potius, ut eadem ferius incumbere, exstimulandus. Quarto, Controversiæ definitionem quantocius fieri supplicabat, dum interim proliores, ac pene æternas ferendi iudicii vias suggereret. Quod ego minus bona fide factum observavi. Negas tu modo, nec tot annos impendendos, ais, si præcipua Europæ Academiæ, juxta Bellarmini consilium, fuissent consultæ. Sed quid, queso, si Jesuitæ solitas artes adhibuissent? Si a singulis etiam Academiis tum voce, tum scripto audiri, voluissent? Si auditu semel, audiri secundo, aut etiam tertio postulasset? Quid, si a se invicem diffidentibus Academiæ? Quid, si a parte diffidentium altera rejecta nonnullæ, quod ab alterius Professoribus regerentur? Quid demum, si Episcoporum Concilium, in quod potissimum instabat Bellarminus, cogeretur? An non mille moris, atque pedicis implexa causa, in ævum protrahenda esset? Quinto, Summos Pontifices, ab ipso D. Petro ad hæc usque tempora, Concilia solito adhibuisse, asserbat Bellarminus, ac Fidei dogmata definienda. Cui ego Augustini sententiam obijci lib. 4. ad Bonifacium, cap. ultimo: *An vero Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pertinacia damnaretur, quasi nulla heresis aliquando, sine Synodi congregatione, damnata sit? Cum potius rarissima inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis existeret &c.* Quare extra rem, & institutum omnino sunt, quæ a te modo nazie ingeruntur, ut Molinæ doctrinam ibi approbatam, summoque plausu exceptam, ostendas, ubi primum enata fuerat. Non enim id agitur eo loci; sed Bellarmini de solita Conciliorum celebratione propositio controversatur. Quamquam tuæ illæ, quas recantas, naniæ, de Moliniana doctrina ubivis summo plausu excepta, suis locis rejectæ sunt. (1) Sexto, Molinæ de prædestinatione opinionem in Ecclesia tolerari, atque permitti, postulabat Bellarminus, data ad Clementem Epistola. Cui propterea inconsultantiam notam affici; cum is gratuita prædestinationis dogma, uti Ecclesiæ Catholicæ Fidem, editis antea scriptis propugnavit. Quid tu vero imposturam exoptulas, quasi duplicem de gratuita prædestinatione questionem non satis discreverimus, unam fidei capitibus annumerandam, de qua scripserit Bellarminus; alteram opinionem liberam, de qua

Molina disputaverit? Quandoquidem, in eo questionum discrimine faciendum, operam multam posuimus lib. 1. cap. 16. & Molinam in ipso fidei capite cæspitasse, demonstravimus.

Quarta sequitur Jesuitarum ars, ad morandam definitionem Pontificiam, attentata: corrasse nimirum, & emendicatas Epistolæ commendatitias. Has tu non solum agnovisti; verum etiam lectorum oculis integras representas, tanquam probata Moliniana causa documenta: at illas, ad morandum iudicium Pontificium, artificiosè procuratas, negas; sed ultra a Viris Principibus, varisque Academiis scriptas, ais, ut de rebus, ad Molinæ gratiam in Hispania, Lusitania, Germania gestis, Pontifex intraretur. Cur itaque, si sic est, accitum Societatis Præpositum tam asperis verbis habuit Clemens VIII. quod tam favoris, & gratiæ viam iniisset, summo veritatis, & Ecclesiæ Catholicæ damno? Et sane Virorum Principum Litteras nemo leget, pro periclitante Societate precibus, & obsecrationibus plenas, qui eas, ad gratiam fidas, non illico videat, immo ab illis ipsis dictatas, ad quorum gratiam scribebantur. Prior enim a Joanne Borgia data est, quem privatis, & publicis necessitudinibus Societati implicatum, nemo nescit. Res ille ante annos duodecim in Lusitana Inquisitione tractatas narrat, quas a se ipso Vir secularis, & alicuius scire non posset; quasque idcirco ab iis suggestas fuisse, necesse est, quorum rem agebat, & causam; unde, quas illi de more fabulas narrat, a nobis lib. 1. cap. 13. cumulatissime confutatas, Pontifici ingerit. Quodque circum obsequendi animum magis probat, litterariæ concertationi immiscet se fe vir proflus illiteratus, nec ullam meliorem iis se libris inferendi rationem obtendit datis Epistolæ, quam quod in Regio Lusitanæ Senatu Consiliarius esset, atque in eo Regno natus, & educatus. Altera a Guillelmo Bavarie Duce scripta est, quem ad Societatis genium ita fictum noverant universi, illi quibusvis Societatis negotiis immixtum, implicitamque, ut ejusdem procurator, & actor vulgari somnate diceretur. Molinæ doctrinam a Germaniæ Academiis probatam, testatur Serenissimus Princeps data Epistola: at illud interim silet, quod cap. 18. lib. 4., productis instrumentis, ostendimus: Academiarum nomine Societatis Collegia subintelligi; Doctoresque Germaniæ vix alios, præter Jesuitas, numerari, qui, Divino, & humano jure neglecto, in causa domestica iudicium affectaverint. Quæ res occupatum affectibus animum palam prodit. Reliquæ, Academiarum nomine jactatæ, Epistolæ, tentatam machinationem, & artem fronte præferunt. Ut enim dissidens, Academiæ, Herbipolensem, & Moguntinam, quarum geminæ feruntur Epistolæ, nil nisi Societatis Collegia esse, eo titulo cohonestata; Complemensem etiam, Societatis discipulam, & clientem, totam ex ejus nutu pendere; id aliunde perspectum est, Academiæ illas iudicium qualecumque suum de mota lite tulisse superioribus annis, Romanis auribus minus probatum; nec aliud reperitis tandem Epistolis postulas, quam ut denuo audirentur; eoque pacto lis traheretur in longum. Quo capite positum dicebamus, quod a Sociis cadente anno 1601. tentatum est, artificium.

Commandatitias Principum, & Academiarum Epistolis accessere animum visionum, & revelationum nuga, a nobis obiter adnotatæ; quibus ad Molinæ partes a Sociis, eorumque regalibus tractum est cælum. O quantus isto accessit fervor capiti! Quæ convicia, quæ probra, non in me

tan-

tantum, sed & in universum Prædicatorum Ordinem jacis, ut, quam putas acceptam, injuriam ulciscaris! A re siquidem, insituroque digressus, ad controversias de Deiparæ Conceptione dilaberis; magnique Spontandi nomine ostentato, longam ex illo, ac probrosam fabulam narras, de miraculis, ac visionibus, a nostris in Helvetia confictis, ut piam opinionem inflectantur: Nempe malorum tuorum putas solatium, si nostros tuis similes facias. Verum hoc tibi dudum solatium eripuerit Seraphinus Piccinardus tom. 2. de approbatione doctrinæ S. Thomæ, lib. 4. quæst. 6. art. 1. & Joannes Casalfius in *Candore Lillii vindicato* §. 98. qui probrosam fabellam, a Joanne Reucilino Capione, suspecta fidei viro, & Dominicanis, quos impietatis suæ Quæstiones expertus erat, peculiariter infenso, de industria fabricatam, librisque, ementito nomine publicatis, (1) primo vulgatam, multis ostendunt: ac tum inde in quorundam Catholicorum, impostoris antesignani fraudem nescientium, libros incircumspecte transfusam, cui & anachronismi, & antilogiæ fidem omnem eripiunt.

Sed ad rem, unde digressus es, veniamus. Num tu putidus cavillator, qui Lemosii suffragium (quo teste, Ferdinandi de las Infantas infusum libellum, in quibus revelationibus factum, a Sociis *submissum* innumus) ob id unum extulisti, quod in aliis nonnullis capitibus cæspitavit? Dignam enimvero disputandi formulam! Id si liceat, vix ullum stabit scriptoris, tamesi probatissimi, testimonium: cum in tanta Hæreticorum turba vix ullus occurrat, cui non aliquando somnium obrepserit. Sed nec evincis, obrepisse Thomæ de Lemos, binis illis, quæ prodixi, exemplis. De primo enim dictum abunde scilicet 3. cap. 4. ubi Lemosium haud ita male ominatum, ostendimus, dum vulgatas anno 1588. in Cassianum adnotationes Stephano Tuccio adjudicavit. Alterum minus movet; quod enim *Propugnaculum humane libertatis*, a Gabriele Penno compositum, committente, ut ais, Gregorio XV., probavit Cardinales duo; non illico consequens est, non potuisse illum, rebus maturius expensis, per Sanctam Sedem, quod Lemosii factum memorat, *prohiberi*: cum vel ab ipsis Cardinalibus editi libri, si forte errores obrepserint, non secus ac cæteri prohibeantur. Age tamen, & Lemosium eo in capite, de quo nec per somnium in Historia cogitavi, falsum concedamus: non ideo tamen, quo cum laudavi, capite cæspitasse censendus est, dum Ferdinandi de las Infantas infusum libellum, perlatu revelationibus infans, Romæ damnatum, asseruit; quem etiam Romano liberorum damnatorum indiculo infernum deprehendimus, pag. 99. Editionis anni 1686. *Ferdinandi de las Infantas Cordubensis Tractatus de Prædestinatione*. Hunc porro a Sociis ad Moliniana doctrinæ publicationem *submissum esse*, non meum, ut obijcis, commentum est, sed Lemosii assertum; non ipsis quidem verbis, sed aliis, eundem sensum referentibus: *Isdem temporibus*, inquit ille, (2) *dum gravissima ista causa studio Juano, accuratissimaque diligentia apud S. Sedem tractaretur; & recentioribus, multis præcipuis ex suis Romanis convocatis, in defensione P. Molinæ persisterent; alii tres libri, NON IMMEDIATE AB ILLIS, SED AB ALIIS, in defensionem Molinæ, & illorum, qui ejus defensionem sententiam, favorem excuduntur, & publicantur. Illorum primus divulgari cepit anno 1601., duobus annis videlicet post illum P. Francisci Suarez, cujus jam mentionem se-*

tinuus. *Titulus hujus libri ita habebat: "Tractatus de Prædestinatione &c." Quid enim hæc Lemosii verba sonant, non immediate ab illis, sed ab aliis, nisi Socios, ad Molinæ defensionem excubantes, non a se ipsis quidem id egisse, quod narrat, sed aliena ad id opera usos?*

Puridis cavillis apertam imposturam adnectis, ubi me ad Clementis VIII. tempora retulisse, fingis, *viam Religiosissimæ Virginis Marine de Escobar*, a Ludovico de Ponte descriptam, quæ non nisi anno 1665. typis primum excusa est. Nichil ego hujusmodi: sed anilem visionem, a Ludovico de Ponte in Marina vita descriptam, sub Clemente VIII. somniatam, ac publicatam, significavi: *Alia revelationum nugas, in quibusdam, eodem sine venditarum. Jactabant, religiosissimæ Virginis Marine Escobar, pro Societate damnationem metuente exoranti, apparuisse D. Dominicum, sermoque jussisse, ut pro periclitante Societate serventium præcaveretur: &c.* Ludovicum de Ponte ad marginem duntaxat indicans, qui longo post tempore visum hoc qualecumque litteris tradidit. Ac licet descriptam visionem, nugam, ac fabulosam dixerim; non ideo tamen, ut quereris, religiosi Scriptoris fama, pietatique detractum volui, quasi hanc ipse fabulam impostor sacrilegus fixerit: sed quod de Gregorio Magno, Venerabili Beda, Divo Antonino, Vincentio Bellocacensi, citra pietatis, ac sanctitatis injuriam, a Melchioro Cano notatum est; id ego de Ludovico a Ponte, cum sacris illis capitibus minime confertendo, potiori jure statuendum, excitavi: (3) *Nezere non possumus, viros aliquando gravissimos, in vivorum præsertim prodigiis deservendis, sparsos rumores excepisse, & scriptis etiam ad posterum retulisse. Quæ in re, ut mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi, aut Fidelium certe vulgo indulserunt: quod vulgus sentiebat, non tantum ea facile miracula credere, sed impense etiam flagitare. Itaque signa nonnulla, & prodigia Sancti quoque memorie prædiderunt, non quod ea libenter credidissent, sed ne desse Fidelium votis viderentur.*

Longe minus Cassiani sanctitati detractum volui, dum eam a Moliniana ambitionis elatam dixi, sparsisque, ad accupandam plebeculæ venerationem, officium particulas irisi: quin potius Lemosium, de ea minus digne sentientem, (quod illum in Gallo-Provincia publice coli, nesciret vir Hispanus) data opera confutavi §. 11. Præfationis: sed eos duntaxat pro meritis excepi, qui Cassiani sanctitate ea mente, eoque consilio *ambitosius offerebant*, ut eundem erroris idcirco purum innuerent: quasi non alia doctrina, alia sanctitatis ratio sit. Quandoquidem autem illud te male torquet, quod susceptam a Moliniana, quo tempore controversia ferretur, Cassiani defensionem innuerim; neminemque a me prolatum iri, contendis, a quo omnis Cassiani, Fautique doctrina ab errore tunc temporis vindicata fuerit: audi non Lemosium, cuius tibi suspecta fides est, sed domesticum tæstem, Joannem Marianam, a quo Opusculum *De morte, & immortalitate*, pendente Auxiliorum controversia, compositum movuisti: *Quod de Cassiani, & Fautique libris opponeretur, a Gelasio eorum lectione interdicitum, non pro, id factum propter dogma de prædestinatione, quod illi fuit cum aliis Patribus commune, quorum scripta is Pontifex probavit, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Chrysostomi, Hieronymi; sed propter alia, quæ ex iis libris expuncta suspicantur. Auctor Trithemius Abbas in Fauto. EPI VIDEO, QUÆ*

A CAS-

(1) Vide supra scilicet 3. c. 1. & lib. 1. c. 21.

(1) In triumpho Capionis sub nomine Eleutherii Bizeni. (2) Tom. 1. tit. 6. de P. Mol. c. 2. (3) Lib. 11. c. 6.

51 A CASSIANO DICTA SUNT, OMNIA DE GRATIA,
 52 ET LIBERO ARBITRIO, A VIRIS ERUDITIS NO-
 53 STRA ETATE DEFENDI, QUASI PIETATI CONSO-
 54 NA, NEQUE DEFLERA A FIDEI REGULA SANCTA.
 Hæc Mariana lib. 3. cap. 6., qua concisa licet,
 ac paucis comprehensa verbis, Cassiani tamen Ap-
 ologiam absolutissimam referunt. Audi & Posse-
 vinum in Apparatu, jam tum ab anno 1602. die
 10. Augusti, a Claudio Aquaviva probato, &
 annis proximis secutis vulgari cœpto; ubi Petri
 Ciaconii apologeticas in Cassianum observationes
 commendat, & genuinum Cassiani sensum erroris
 absolvit. Ea igitur observationes, ad calcem
 Libri adjectæ, (1) prælegendæ sunt his, qui
 Librum hunc, aliquo utilissimum, & a San-
 ctis Benedicto, & Thoma Aquinate teri soli-
 tum, versare voluerint, ac debuerint: Præ-
 fertim cum Cassianus, iis de gratia, & libero
 arbitrio locis, adeo pugnantia secum proferat,
 ut ex Pelagianorum potius disputationibus,
 quorum sententias refert, quam ex suo sensu
 deprompta esse videantur: Quod & ipse alicu-
 bi admonere videtur.

Unus superest Pauli Benii, Professoris Patavi-
 ni, libellus, sub id temporis evulgatus, cujus in-
 faustum exitum obiter indicavi: (2) de quo ta-
 mest, ne quid sine cavillo præterea, plura a me
 dici quereris, quam ipse, quoniam ad marginem lau-
 davi, Lemosius dixerit. Quid ergo? Adeo ne
 sacra Lemosii verba putas, ut nihil narratis ab
 eo historici possit adici, quantumvis publica fa-
 ma, probatque aliorum rectificationibus constet?
 Non dixit quidem Lemosius, Paulum Benium
 fuisse alias Jesuitam: at id Patavii, ubi hæc scri-
 bo, ac ubi per annos 26. (3) eloquentiæ græ-
 cæ, ac latine Cathedram moderatus est Benius,
 tam notum est, quam fuisse illum humili admo-
 dum corporis statu, aut ex patria nomine Egu-
 binum. Non dixit secundo, fuisse libellum ejus,
 mensis Novembris 1601. antequam typis committere-
 tur, Clementi VIII. traditum: at hoc ipse de se
 Benius scribit, edita subinde scriptura, ad
 insuasi libelli defensionem. Non dixit tertio,
 eundem libellum ultricibus flammis fuisse adhibitum,
 at illud ultimum, quod unum e tribus non leve
 momentum habet, quodque ad invidiam a me si-
 lum credi posset, diserte testatur Archiepiscopus
 Arimachus, in scripto De necessitate definiendi:
 (4) cujus hæc ipsa verba sunt: *Hæc rei exem-
 plum unum sit, cujusdam Professoris Patavini opus
 de controversia hæc componenda, Patavii excusum,
 anno 1603. quod licet hæc allatum, ET EX SEN-
 TENTIA OFFICII S. INQUISITIONIS AD IGNEM CON-
 DEMNATUM; non ita tamen id tam cito factum,
 quin, ut audio, complura ejus exemplaria Franco-
 jurum pervenerint, que ab hereticis avidissime
 coempta sunt. Unde Jacobus Philippus Thomassi-
 nus, Tom. Elogiorum, pag. 351. de hoc ipso Be-
 nii libro sermonem faciens, hunc non modo Ro-
 mæ suppressum, ait, sed & ingentem Auctori mo-
 lestiam attulisse: quo verbo non vulgarem in eum
 latam sententiam videtur innuere.*

Nec mirum cuiquam videri debet, quod &
 hunc ardorem submisit Moliniani, qui, vul-
 gato libello, pacis, & concordia ineunde ratio-
 nes Clementi suggereret; quamquam is, gratiam
 fe ipsa efficacem oppugnans, a Scientiæ-Mediæ
 systemate procul abierit, mediumque nescio quid,
 utrique parti incommodum, obtruserit, Pontifi-
 ci judicio statuendum: Socios enim, in illis re-
 rum suarum angustis, iniquas quoque conditiones
 subire, mediamque inire viam, minime detrecta-

se, comperitum est ex Achille Gagliardo, (5) So-
 cietatis Theologo, data ad Clementem Epistola,
 qua alia nonnulla a se meditata passionis capita
 ingerebat: „ Si congruum judicaret Beatitudo
 „ Vestra, alteram etiam sententiam proponere,
 „ qua inter controversas media staret; ipsi ego
 „ significo, eam, quam ipse propugno, hujusmo-
 „ di esse; quia & auster prædeterminationem, ut
 „ magis in tuto ponat dogma de libero arbitrio;
 „ & efficaciam Divinam plus tribuit, quam ei tri-
 „ buant Patres nostri, juxta doctrinam claram
 „ SS. Augustini, & Thomæ. Siquidem videtur
 „ mihi, hanc esse doctrinam antiquam; ac Pa-
 „ tres Dominicanos, & nostros nova addidisse,
 „ ab aliis minime tradita; atque ex ea novitate
 „ contentiones enasci. Jam tribus vicibus de
 „ ea opinione cum Patribus nostris contuli, fol-
 „ vique difficultates omnes, ab ipsis propositas,
 „ multaque cum pace, & unione EOS ETIAM PA-
 „ RATOS INVENI AD ADMITTENDAM DOCTRINAM
 „ MEAM, EAMQUE SIMUL CUM ALTERA PUBLI-
 „ CANDAM RELINQUERE. Eisdem paratos agnovi
 „ ad utrumque propositæ compositionis scriptum
 „ admittendum. Quidam ergo mediam quo-
 „ que viam, a Benio propositam, amplexi essent,
 „ qui excogitatum a Gagliardo minime detrecta-
 „ bant?

C A P U T IV.

Quam recte observatum a nobis sit, Jesuitas palam
 cum gregaliibus suis propugnasse; de fide non esse
 Clementem VIII. Summum Pontificem; & Petri
 successorem esse, ut hæc arte Pontificis definitionis
 auctoritatem eliderent.

ET hoc quidem a tuis propugnatum esse, non
 modo concedis lubens, verum etiam defen-
 sarum tunc temporis Conclusionum historiam nar-
 ras; unde nonnulla, que nos ante laterant, dis-
 cere licet, que Sociorum tuorum culpam vehe-
 menter exaggerant. Ego enim petulantem asser-
 tionem, in Complutensi Societatis Collegio pro-
 pugnatam, simpliciter dixeram, præside, ut con-
 jiciebam, Gabriele Vasquesio, quem primum
 tunc Theologiæ Professorum illic egisse, certo
 noveram, ac subinde ob defensam Conclusionem
 carceri mancipatum: nec tamen Theosus
 defensionem indignitaveram, quem externum for-
 tale discipulum alii crederent. Tu auctores fabule
 omnes, ne quem laude tua fraudari contingat,
 ex nomine appellas, ac Vicos de Societate fuisse,
 mores, Melchiorum Onnate, Theosus defen-
 sorum, Ludovicum Turrianum, disputationis Præ-
 sidem, Gabrielem Vasquesium, primum ibi
 Theologiæ Professorem, & Nicolaum Almasan,
 Collegii Rectorem: quos omnes in custodiam
 Inquisitionis subinde datos agnoscis. Addideram,
 illam ipsam assercionem, alteramque longe durio-
 rem in ipsa Complutensi Academia tunc tempo-
 ris propugnatam esse, subscribentibus Joanne la
 Camera, & Alvaro Villegas, Doctoribus Theo-
 logis, & Moliniani doctrinæ acerrimis defensori-
 bus; at ignotum interim Theosus defensionem si-
 lentio miseram; quem alium a Societatis Theo-
 logo facile suspicarentur universi. Hunc tu, ve-
 lut ad pompam, in lucem educis, Gasparem Hur-
 tado Societatis Professorem, qui has pro cape-
 senda Doctoris Laurea Conclusiones defendebat.
 Non itaque rem ipsam a me narratam vertis in
 dubium; immo quod ab uno, ceteris assentienti-
 bus, factum innueram, id a tribus omnino fi-
 dum

atum agnoscis, Melchior Onnate, Ludovico
 Turriano, Gaspare Hurtado: ut non tam Soci-
 etatis defensionem adornasse, quam novam crimi-
 nationem intruxisse videaris.

Verum, quod factum agnoscis, excusatione
 mollire fatigis, ac in Pontificiam auctoritatem
 deliquisse reprehendatur. Ac primo contumelio-
 sam Clementi VIII. assercionem, non Romæ, ut
 Antonino Reginaldo visum erat, sub ipsis Præ-
 positæ Generalis oculis defensatam, observas, (1)
 sed Compluti duntaxat: nec ipsam Clementis
 VIII. personam in exemplum adductam esse, con-
 clusione apud Socios propugnata, sed universim
 duntaxat Theosis inscriptum: De fide non est,
 hunc numero hominem esse Summum Pontificem.
 At quamquam sit ita; nihil gemina illa observatione
 in me obtrines, qui hoc idem ante te adnotave-
 ram, ac verbis etiam discretissimis factus eram.
 Dicam tamen, te tibi jugulum petiisse, ac,
 ne Sociorum tuorum culpam ea quæcumque ex-
 cusatione imminuere possis, effecisse: quippe qui,
 propugnatis in publicis Academicis scholis Theosis
 alias, scribis, a Gaspare Hurtado, Societatis
 Professore, queis Clemens quoque exempli gratia
 notabatur: Non est de fide, hunc numero Papam,
 nempe Clementem VIII., esse de jure Divino Sum-
 mum Pontificem. Quamquam, ut alias adnotave-
 ram, si nulpam Clementis VIII. mentio injecta
 esset, idem omnino rediret generalis propositionis
 sensus, ac robur.

Nec melior, qua a te, tuisque communiter
 obtruditur, excusatio altera: non esse scilicet il-
 lam, quam Hurtados, Onnatus, Turrianus Com-
 pluti defendunt, Societatis doctrinam; sed a
 Thomistis, Cajetano, Turrecremata, Cano, Ban-
 nesio, ab iisdem imprudenter excerptam. Id enim
 est verum fingamus esse, culpam verius exagger-
 rat, quam imminuat, ac tentate, in iis rerum
 vestrarum angustis, machinationis suspicionem
 non mediocriter auget. Ecur enim, imminente,
 ut fama tolerat, Moliniani doctrinæ damnatio-
 ne, domesticæ scholæ sententiam, que Pontifi-
 cia auctoritati favere magis, rejicere incipie-
 bant, nisi, ut qualemcumque contumaciæ suæ re-
 ceptum circumspicerent, eaque jam tunc præpa-
 rarent, que, cum esset opus, in Judicis persona
 cavillarentur? Sed & hoc tam falsum est, quam
 quod maxime, a præfatis illis Thomisticæ Scholæ
 Magistris excerptam esse, quam Socii Complu-
 tentes defendunt assercionem: si enim ita fe res
 haberet, Clemens VIII., dato Brevis Pontificio
 die 10. Martii 1603., opinionem quorundam ho-
 minum, novitatem amantium, minime vocasset.
 Quocirca scire juvat, ante tentatam Compluten-
 sium Jesuitarum molitionem, a Theologorum ne-
 mine tractatam legi, data opera, ac conceptissi-
 mis verbis, celeberrimam Controversiam: Num
 de fide sit, hunc numero hominem esse Summum
 Pontificem? Sed occasione duntaxat, obiter, at-
 que aliud agendo, perstrigam a multis. Quo-
 quot porro Thomistæ nostrates difficultatem atti-
 gerant, id unice disputaverant: Num privati ho-
 minis Pontificatus spectet ad fidem immediate, ac
 per se primo, ut Schola loquitur, an mediate dun-
 taxat, ac per se secundo: cum interim in id con-
 sentiret universi, ad fidem istud aliqua ratione
 pertinere, adeo ut, qui receptum ab Ecclesia
 Pontificem vocaret in dubium, hæreticus censere-
 tur. Quare qui in ea levi quæstione hujus deli-
 beratione partem negantem tenuisse perhibentur,
 Turrecremata, Cajetano, Cano, Bannesius, id,
 ut summe, negarunt, quod & in presentia a
 nonnullis negari, video, pertinere illud ad fidem
 Serry Tom. II.

immediate, ac per se primo. Hujus mihi testes
 Theologi Salmantini, strictioris Carmelitarum
 Instituti, Tract. 17. de fide; disp. 4. de Roma-
 no Pontifice, dub. 2. §. 1. ubi peculiari studio
 in eam veterum Thomistarum sententiam inqui-
 runt. Videmus, inquit, *Vicos Catholicos, sa-
 pienssimos, & acerrimos Pontificis dignitatis in-
 dices, negare, quod sit de fide, SALTEM IMMEDIATE, illum hominem, qui pro tempore Pontifica-
 tum gerit, esse legitimum, & Summum Ecclesie
 Pontificem: idque ante, & post Clementis tempo-
 ra, præcedenti sæculo, & in presenti. Ed tamen
 non videmus, quod Summus Pontifex, aut sanctum
 Inquisitionis tribunal in eos animadverterit, aut
 subjecerit sponge corum scripta. Ac tum distincta
 Thomistarum testimonia ad crism exigunt, Joan-
 nis de Turrecremata lib. 4. summa, part. 2.
 cap. 9. Melchioris Cano lib. 6. De locis Theo-
 logicis, cap. 8. in resp. ad 10. Cajetani 2. 2.
 quæst. 1. art. 3. ad 4. Bannesii 2. 2. quæst. 1.
 art. 10. dub. 2. Quos omnes id unum, ut ut
 maxime incitatos esse, contendunt.*

Neque obest, quod a Bannesio, data ad secun-
 dum argumentum responsio, scriptum observas:
*Solum haberi ex humana prudentia evidenti inquisi-
 tione, aut etiam ex insussa prudentia, cui potest
 subesse falsum speculativo, quod hic est Summus
 Pontifex, & quod hoc est Concilium vice congrega-
 tum, & confirmatum. Certum namque est, id ab
 eo unice dictum de habitu, quo immediate veritas
 illa dignoscitur; ita tamen, ut mediate saltem fi-
 de ipsa dignoscatur. Quod ne gratis a me di-
 ctum putes, duplici momento confirmo. Primo
 ex objectione, quam sibi e vestigio obviam facit:
 Videtur, ex illa responsione sequi, quod non sit ne-
 cessarium, credere secundum fidem, hæc Ecclesiam
 in singulari esse Ecclesiam Catholicam; sed quod
 sufficit, credere, & consisti in communi, Eccle-
 siam esse Catholicam. Probatur sequela: quia hæc
 Ecclesia signabilis non est alia, nisi que de sacro
 militat sub signato capite Gregorio XIII. & que
 hic, & nunc congregata est in hoc numero Concilio,
 v. g. Tridentino: ergo si fides IMMEDIATE NON
 INCLINAT ad credendum, hoc esse Concilium, &
 hunc esse Pontificem, sequitur, quod non inclinât ad
 credendum in singulari, hæc esse Ecclesiam Catho-
 licam. Unde facile colligas, id unum a Bannesio
 negatum esse, data superiori responsione, fidem
 immediate ad illa duo inclinare. Secundo id eruo
 ex verbis ipsis, quibus propositam quæstionem ul-
 timo dirimit: *Nihilominus, omnibus supradictis
 non obstantibus, valde temerarium esset, & scandalo-
 sum, si, postquam Ecclesia acceptavit aliquem ut
 Summum Pontificem, negaret aliquis, illum esse
 Summum Pontificem verum, nisi ostenderet, illum
 non esse baptizatum, aut non esse Virum: alioquin
 non solum esset vehementer suspectus de heresi, sed
 ETIAM, UT HERETICUS, MERITO PUNIRETUR.*
 Nemo autem, ut Hereticus, puniendus venit,
 quod veritatem inficietur, ad fidem nulla ratione
 pertinentem.*

Nihil itaque dubitandum, quin præfati illi Tho-
 misticæ Scholæ Magistri de sola, ut ajunt, im-
 mediata fide, seu revelatione disputarint. Verum
 Theologi Complutenses, qui severam illam Cle-
 mentis VIII. animadversionem subiere, nulla pla-
 ne ratione ad fidem pertinere, censebant, verus-
 ne Pontifex Petri Cathedram occuparet: quippe
 qui vulgaris Theosis (queis nudæ sententiæ sen-
 su obvio, quem verba præ se ferunt, inscribi so-
 lent) absolute, ac simpliciter propugnant, Non
 esse de fide, hunc numero hominem esse Summum
 Pontificem. Quorum etiam mentem, ac sensum
 di-

(1) Tom. 2. Venetæ Editionis, pag. 131. (2) De hoc plura lib. 2. cap. 7. (3) Ab anno 1599, ad
 an. 1625. (4) Extat in Append. (5) Lib. 2. Hist. cap. 11.

(1) In quæst. Theolog.

distinctius retulit Didacus Nugno, (1) qui hac ipsa ætate temporum in Hispania versabatur: Nostri temporibus fuerunt quidam moderni, qui distinguiebant inter has duas propositiones: Hic homo non est Summus Pontifex; & Non est de fide, quod hic homo sit Summus Pontifex: loquebantur autem de Clemente VIII., postquam multos annos rexerat Ecclesiam, multosque actus Pontificios fecerat, ut canonizare Sanctos, & alias similes: Dicebantque, illam primam propositionem esse schismaticam, & scandalosam, & multum temerariam; at nullo modo erroneam, vel hereticam: Secundam vero propositionem, dicebant, esse probabilem. Sic sane Socii Complutenses, Didaco Nugno apprimè noti. Ex quo porro nec hæreticum, immo nec erroneum est, negare, hunc hominem esse Summum Pontificem, consequens profecto est, ad fidem nulla ratione pertinere, ne mediate quidem, ut ajunt Theologi, ac secundario, ut is peculiaris homo Pontifex agnoscat.

Haud me fugit, Ludovicum Turrianum, qui Thesium Complutenfium, apud Socios defensorum, præses, & arbiter federat, hanc ipsam controverfiam post annos amplius triginta, (2) editis disputationibus, agitantem, lectores initio monuisse, (3) Quæstionem esse, an sit de fide istum esse Pontificem, ita ut contrarium sit hæresis? ac tandem ultimo statuisse, Non posse hoc tempore sine scandalo defendi, rem non esse de fide. Verum quis non videat, Turrianum, post susceptas audaciam penam, sibi subinde cavisse, ne quid deterius accideret; quæstionemque, cujus occasione mulctatus fuerat, ad eum tandem sensum flexisse, qui novæ animadversioni obnoxius esse non posset. Immo cum dilectis verbis significet, non posse id sine scandalo defendi hoc tempore; satis aperte innuit, id sibi ante hæc tempora licuisse.

Nec pariter inciusus sum, Gasparem Hurtadum, alterum Thesium defensorum, editis post annos aliquot Commentariis, epinicum cecinisse, darumque ab Hispanis Quæstoribus defensoria doctrinae absolutionem jactasse. Re ad Clementem VIII. delata, inquit ille disp. 11. De fide, diffie. 13. Romam ab eo vocati sumus, ad rationem dictæ propositionis reddendam. Jamque vic accingebamur, cum obtentum est a Pontifice, ut res in Hispania transigeretur, datis ad id iudiciis, a quibus, re exacte discussa, innocui profus, & indemnes decernati, doctrina ipsa sana plane iudicata est. Quis reo in causa propria fidem præstet, maxime si contrariis testificationibus resellatur? Statim ut illa propositio, (4) inquit ex adverso Didacus Nugno loco ante laudato, universa Ecclesia Catholicæ tam in Hispania, quam in Italia, præcipue civitas Romana scandalizata est: omnes viri sapientes, & etiam vulgares vehementer scandalizati sunt: omnes iudices fidei, præcipue Summus Pontifex, æque nimis tulerunt, quod talis propositio defenderetur. Et clarissimus Thuanus lib. 31. Historiarum: Jesuitici sodales alieno tempore aliquas quæstiones proposuerunt, quæ magnæ animorum commotioni non solum Romæ, sed quacumque legitime successerunt, & doctrine patet ditio, materiam præbuerunt: & inter eas, Clementem VIII., qui nunc Romæ sedet, credere legitimam B. Petri successorum, non esse ex articulis fidei. Quod nisi Philippus Orator intervenisset, toti Societati periculum non mediocriter importabat. Deinde etiam, Confessionem, quæ inter Ecclesie Sacramenta habetur, per Epistolam, & per curiores peragi posse. Quæ quæstiones in ortu suo non solum magno consensu rejectæ, verum prudentissimo

statim extinctæ sunt. Nimirum, quam sententiam indennem, ac plane sanam, lato iudicio, pronunciatam, effudit reus, hanc ipsam ab universis fidei iudicibus male habitam, agris animis, auribusque auditam, magno demum consensu rejectam, atque extinctam, cæteri contestantur. Hurtadum, tanquam de approbata doctrina epinicum cecinisse, consilio, quod e custodia, in quam tua cum cæteris confectus fuerat, post dies aliquot sit educus. At quis, quæso, vel mediocriter sapiens, laxatam præcipitanter ab Hispanis Quæstoribus carceris penam, ad defensoria doctrina commendationem ostendet; cum & festinam illam laxationem amaro animo tulerit Romanus Pontifex, & defensoriam doctrinam, supplicio dignam, & male sanam, iudicavit? Prioris argumenta sat multa dedimus lib. 2. cap. 30. Posterioris fidem locupletissimam facit Petrus Hurtadus, alter Societatis Theologus, a Gaspare distinguendus, disp. 37. sect. 2. Hinc sententia ex fidei articulis esse, hunc privatum hominem esse Summum Pontificem (multum roboris dedit Clemens VIII. incarcerans nonnullos Doctores, quod oppositam censuerint, eosque jubens Romam adire, rationem reddituros illius sententia, quæ illi Sedi visa fuit digna supplicio. Quodque omni externo testimonio gravius est, Clemens ipse assertiones Compluti defensas vocat; quorundam hominum, novitates amantium, parum consideratas, ne quid gravius dicat, opinionibus: dato Brevis Pontificio, quo Francisco Zumelio eruditam lucubrationem (5) adversus eundem, hortante Nuntio Apostolico, adornatam, gratulatus est.

Nunc vero, eam Complutenfium Theologorum molitionem eo collimasse, ut imminentis Iudicii Pontificii robor, & auctoritatem eliderent, (quod altera tituli parte significavi) una omnium sententia fuit: ut etiam ex ipso afferrentur sine, inlittutoque, geminæ assertiones, Compluti defensor, graviori censura perstringerentur. Sic sane Clementi persuasum liquet, ex Hispanice legationis instrumentis, lib. 2. cap. 30. recitatis: persuasum & Theologis. Hinc religiosissimi, doctissimique Carmelita Salmaticenses, strictioris Institutii Tract. 17. de fide, disp. 4. de Romano Pontifice, dub. 2. §. 1., Ut Clemens iustissime predictos Doctores puniret, opus non erat, quod eorum doctrina esset hæretica, & immediate contraria fidei: sufficiebat enim, esse vel temerariam, vel scandalosam, vel erroneam; præcipue si eo fine promulgaretur, ut quis posset declinare ultimam Pontificis sententiam in aliquo fidei negotio, tunc imminente.

Cæterum dormites, an vigiles, nescio, dum alteram sub Paulo V. tentatam Barcinone molitionem excusas. Theses ego publicæ disputationi paratas dixeram, probante, ac subscribente Raphaelo Gueran, e Societate Jesu, in quarum septima propositione isthæc ad Pauli V. injuriam legebantur: De fide debebamus credere, Clementem VIII. fuisse vice electum, ut verum Pontificem: certitudine vero morali, Paulum V. esse verum Pontificem. Tu modo superciliosus hallucinationem exprobras, quasi non satis observaverim, citatum Thesos fragmentum adversus Prædicatores fuisse positum, qui cum accusassent Jesuitas sub Clemente VIII., quod docuissent, de fide non esse, ipsum verum esse Pontificem; ipsimet & ante, & postea docuerunt, certitudine duntaxat morali constare, hunc, qui pro tempore Ecclesiam gubernat, esse verum Pontificem. Quo dicto

dicto cum se peti, perstringique, viderent Prædicatores Barcinonenses, palam coram Episcopo intercesserunt, ne publice Theses defenderentur. Quis isthæc a vigilante scribi putet? Si enim ea Prædicatorum sententia fuerat, certitudine duntaxat morali constare, hunc, qui pro tempore Ecclesiam regit, verum esse Pontificem; qui, quæso, adversus Prædicatores positum fingitur fragmentum illud, quo certitudine duntaxat morali credendum asserbatur, Paulum V. esse verum Pontificem? Quæ tandem forte, eo se dicto peti, perstringique, fenserunt Prædicatores Barcinonenses, quo suam potius defendi doctrinam, atque probari, conspiciantur? Non ea ergo de causa intercessio a Prædicatoribus facta est, sed quod atrox Paulo V. irrogaretur injuria; ejusque tum maxime luderetur auctoritas, cum de ferenda in Molinianos sententia cogitabatur.

Il potius, peti se, atque perstringi, sentiebant, omnique, pro varia ratione temporum, doctrinæ ventose se circumferri, significabant, qui paratis ab uno ex nostris ad publicam disputationem Thesium intercesserunt, Granatæ anno 1614., quod hæc illis propositio inserta esset: De fide est per se primo, quod illo homo, qui modo feliciter gubernat nostram Ecclesiam, sit, Summus & verus Pontifex: suaque apud Inquisitores auctoritate effecere, ne publice defenderentur. Quod quia perfractæ negas, ac parum verisimile videri, ais; expostulatorias Hyacinthi de Soeces ad Paulum V. Epistolæ a me duntaxat in Historia subindicatas, integras modo subijcio; quis tota rei series continetur, & structæ machinationis auctores suis coloribus depinguntur.

BEATISSIME PATER.

Tactus dolore cordis intrinsecus, Sanctitatis Vestræ Sanctissimos Pedes votis omnibus osculatur accedo: quos utinam meis lacrymis irrigare possim; ut vel sic oculos meos, studiis delassatis, reficiens, ostenderem, quam acutus animam meam pertransierit doloris gladius, videns in Ecclesia Dei, & in Hispania tale quid, quale Sanctitati Vestræ cordis ejulationi proponam. Cum sim in sacra Theologia Baccallaureus, & ejus publicus Professor in hoc Regali Conventu sanctæ Crucis Granatenfis, Ordinis Prædicatorum, Provinciae Bæticae, veritates Theologicas, quas oculis Sanctitatis Vestræ humillimus in testimonium offero, publice in Cathedra defensorum emisi, omnesque religiosos, virosque doctos hujus Civitatis, ut moris est, invitavi. Quo facto, accidit, ut Patres Jesuitæ, (ita coram testibus affirmavit Inquisitor) novit Dominus, quo spiritu ducti, ad Tribunal sanctæ Inquisitionis accedentes, querelam contra me proposuerint, dicentes, & a se ipsis loquentes; me contra mandatum Apostolica Sedis ausum fuisse, in meis assertionibus defensare quandam propositionem, quam non fore disputandam, neque defendendam, Apostolica Sedis (ut dixere) præcepit Auctoritas: videlicet, quod in Conclusione 33. asserto, De fide esse per se primo, illum numero hominem qui modo feliciter gubernat nostram Ecclesiam, esse verum, & Summum Pontificem. Et cum isti Patres sint potentes in sæculo, persuaserunt Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, nullis litteris ostensis, sed solum sua auctoritate, & voluntate facti, quod me vocarent, & ab uno Inquisitore, nuncupato Don Gabriel Pizarro, reprehenderent, ob illam propositionem. Sery Tom. II.

(1) Lib. 1. cap. 23.

Quod & factum est coram tribus fratribus Ordinibus mei; præcepitque, ne talem propositionem defendere auderem. Factum hoc mecum perpendens, ac diutius alte repetens, mihi metipsum ipsi persuasi, impossibile fore, vestram Sanctitatem tale quid præcepisse, neque tale permiffuram, si factum agnosceret. Ideoque de tali eventu verisimam volui narrationem facere Sanctitati Vestræ, obsecrans per Christi viscera, ut perpendat Sanctitas Vestra, quid dicerent Hæretici hujus temporis, si audirent, prohiberent esse Catholicis defendere, Vestram Sanctitatem esse verum, & legitimum Orbis Pontificem: quantum gauderet modo Calvinus, quam lata utraque manu pfalleret perfidia Anglia. Deum obtestor, ac Vestram iteram, atque iterum obsecro Sanctitatem, ut Sponsæ provideat. Quid enim pejus Ecclesie Dei, quam certa fide non tenere, te, regulam fidei, cui dictum est a Domino, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; ac esse verum, ac Summum Pontificem? Aut formidare talem veritatem omni veneratione majorum? . . . Vale Pater Sancte, Nestoresque vivas annos, ut Ecclesie Sanctæ Dei feliciter præsideas, & provideas. Granatæ, ubi supra, anno Domini 1614. Julii die 8.

F. HYACINTHUS SOCES.

SECTIO SEXTA.

Confutatur Eleutherii Liber quintus, quo quinta hujus causæ cognitio, seu habitæ coram Clemente VIII. disputationes referuntur fide perfima.

CAPUT PRIMUM.

Eleutherius salsa, & inepta non pauca quinti hujus examinis narrationi præmittit: nostra inconsulte, ac temere carpit.

Harum fallitatum pars maxima in antecessum revicta est; quales profecto illæ sunt, quas sub ipsum statim initium comministeris, ut quinti hujus examinis indicendi rationes, quascumque liber, obrudas. Pontifex, inquis lib. 5. cap. 1., acceptis, inspectisque suffragiis tot Academiarum, & Theologorum, quæ ex singulis Europæ partibus Romam transmissæ, doctrinam Molina mirifice confirmabant, incertus, quid ageret, se se versabat partes in omnes. Hinc in tam instantibus, totisque resistis, & revulsis Consorcium de Molina doctrina iudicis, fundamentum, cui decisionem Pontificiam tuto superstrueret, satis firmum non videbat. Illinc Cardinalis Berneri, ab Episcopatu Asculani dicti, apud illum assidui, quotidianis sermonibus, in eam opinionem inclinabat, ut crederet, S. Augustinum Molina contraria sensitisse. Denique, ut erat equum, relictæ amantissimus, decrevit, rem totam (id quod hæcenus non fecerat) per se ipse cognoscere, & auditis utriusque partis Theologis, causisque juridice discussis, pronuntiandæ denique sententiæ viam parare. Atqui hæctenus sex ista & contrario demonstrata sunt: 1. Academiarum suffragia diu ante id temporis a Clemente inspecta fuisse, (1) quin idcirco a Molina sententiam propendisset. 2. Academiarum, ac Theologorum Censuras, ex Hispania Romam advectas, majori ex parte adversatas esse Molina. 3. Quæ ex Germania, & Lotharingia Romam allata fuerant, Academiarum suffragia, ne eo quidem

(1) 3. part. q. 20. art. 3. diffie. 1. (2) An. 1634. (3) Part. 1. disp. 35. (4) Deest verbum: forte, defensoria est. (5) Extat lib. 2. Hist. c. 31.